

II. REFORMATIO DOMORUM [2325]

et ipsorum salutem et Ordinis incrementum. Insuper ad con-  
servandam Ordinis honestatem et ad evitanda scandala quae  
hactenus evenerunt et in posterum contingere possent, volu-  
mus et ordinamus quod omnes personae Ordinis ad Urbem ordi-  
nate pro suarum Domorum aut Ordinis negotiis venientes, ad-  
ventus sui causas dicto Priori significare teneantur, et  
apud eum in Sancta Cruce, aut in Sancta Lucia aut in alio  
honesto hospitio magis convenienti et propitio pro sibi com-  
missis negotiis sollicitandis, sibi per dictum Priorem as-  
signando hospitentur et non alibi in tabernis seu publicis  
hospitiis. (Pr. Lombardiae remotioris).

2325.-1528: Et visa ac multo stupore et moerore perfecta no-  
vissimae Visitationis vestrae Charta (in Domo Rothomagensi),  
lectis etiam vestris litteris nostro Capitulo Generali et  
Reverendo Patri nostro Cartusiae nunc destinatis multa et  
gravia errata in Domo vestra corrigenda, et ut apertius di-  
camus, tam in capite quam in membris reformanda invenimus,  
ut admodum pauci inveniantur qui accusationis lapidem in  
alios projicere possint. Nihilominus viciniore salutem adhuc  
sperantes, etiam hac vice hortamur vos et paterno affectu  
rogamus ut resipiscentes, a transgressionibus vos tempere-  
tis, ea quae Dei sunt et Ordinis observantes. Alioquin Or-  
do sic providebit quod vestra correctio aliis cedet in  
exemplum. (Pr. Franciae).

2326.-1528: Et quia in ore duorum Visitatorum vestrorum veri-  
tatis consistit testimonium, ex Charta quam post superio-  
rem Visitationem (in Domo Parisiensi) nobis miserunt, et  
ex quorundam Religiosorum litteris, quod nunc dolentes re-  
ferimus, Cartusiani videlicet Propositi disciplinam apud  
vos quotidie enervari, periclitari pacem, charitatem refri-  
gescere, et reliqua quae ad monachalis vitae perfectionem  
pertinent deperire. Quapropter, quamvis justa causa nunc ad  
rigorem justitiae nos invitet, hac tamen vice, fortassis mi-  
sericordiae plus justo concedentes, et magis rogare quam  
flagellis disciplinae uti volentes, vos hortamur, et in vis-  
ceribus Jesu Christi rogamus ut arrepti Propositi memores,  
et quorsum tendimus recolentes, deponatis omne circumstans  
peccati pondus, ambuletis in lege Domini, quae pacis sunt  
sectemini, quae aedificationis sunt, in invicem custodiatis,  
et vocationis nostrae Constitutiones, veluti paternarum tra-  
ditionum veri aemulatores, melius quam hactenus observetis.  
Si quominus Capitulum Generale aut super annum per Commissa-  
rios vobis mittendos Ordo providebit, qui secundum gratiam  
et sapientiam a Deo sibi datam, scrutabuntur Jerusalem in lu-  
cernis, separabunt pretiosum a vili, et cunctis injuriam pa-  
tientibus debitam justitiam ministrabunt. (Pr. Franciae).

[2327] REFORMATIO DOMORUM III

2327.- 1529: Priori Domus Montis Dei concedimus licentiam con-  
==== vocandi de consilio Visitorum duos vel tres Monachos ex  
eadem Provincia pro Domus suae reformatione, nec interim do-  
nec ipsa Domus debite in observantiis nostrae Religionis fue-  
rit reformata, recipiantur Novitii vel ad Professionem admit-  
tantur, nisi de Reverendi Patris licentia et ipsorum vocando-  
rum consilio et consensu. Et injungimus Priori ut suae Domus  
reformationi diligenter invigilet et ordinationes Visitoru-  
rum cum effectu observet et exequatur. (Pr. Picardiae).

2328.- 1573: Priorem Domus Sylvi Sancti Martini in Domino adhor-  
==== tamur quatenus abjecta pusillanimitate ad reformationem suo-  
rum viriliter procedat et conventuales studeant humiliter ac-  
quiescere monitis sui Prioris et ipsius bona exempla imitari,  
alioquin Ordo providebit. (Pr. Theutoniae).

2329.- 1722: Et Visitatores reducere curent ad meliorem frugem  
==== oves quae in Domo Padulae errant a via recta et indisci-  
plinate vivunt. (Pr. Sancti Brunonis).

=====

REVERENDUS PATER: (Vide etiam: 491-495)

2330.- 1428: Rogamus atque monemus Reverendum Patrem nostrum  
==== Dominum Cartusiae, (R.P.D. Guillelmus de Motta), in visce-  
ribus Domini nostri Jesu Christi et pro bono profectu nos-  
trae sanctae Religionis, considerando dilectionem filiorum  
suorum quam habent ad eum, quatenus etiam supra vires sicut  
hucusque in patientia sustineat onus regiminis sui et quae  
sibi dicenda sunt ad partem per Diffinitores pro augmento  
gratiae in praesenti et gloriae in futuro sicut fiduciali-  
ter de ipso sentimus dignetur attendere et diligenter ob-  
servare.

2331.- 1451: Et D.N... Professus Domus Divionis veniat ad Reve-  
==== rendum Patrem, et ipse consolabitur eum. (Pr. Franciae).

2332.- 1473: Et super his quae scripsit D.N... Capitulo Generali  
==== sit quietus, quia Reverendus Pater Cartusiae non audivit  
nisi bona de ipso. (In Domo Sellionis - Pr. Burgundiae).

2333.- 1579: Reverendo in Christo Priori nostro Cartusiae non  
==== fit mia, et rogamus eum et hortamur in visceribus Christi  
ut juxta supplicationem Patrum Cartusiae et consilium medi-  
ci, parcat laboribus et vigiliis aliisque exercitiis quae  
robustissimos juvenes decent. (R.P.D. Bernardus Carasse).

[2333] REVERENDUS PATER

2334.- 1581: Reverendo in Christo Patri nostro (idem est) non  
 ---- fit mia. Quem hortamur in visceribus Christi et volumus  
 ut etiam atque etiam monitus jam tandem habeat rationem suae  
 senilis aetatis quae, cum consilio et animi viribus polleat,  
 tamen infirmae carnis debilitatem cogitur humana conditione  
 praesentire, ut jam non quaerat vigiliis, jejuniis et auste-  
 ritatem Ordinis perferre, sicut nec necessaria esse censen-  
 tur iis qui cum vitiis et concupiscentiis jampridem carnem  
 suam crucifixerint.

2335.- 1837: Reverendo Patri Priori Domus Cartusiae non fit mia.  
 ---- (R.P.D. Joannes Baptista Mortaize). Admonemus et rogamus  
 Reverendum Patrem in visceribus Jesu Christi ut assumat me-  
 dia pro conservanda vita in his maxime temporibus perneces-  
 saria, scilicet: 1° Ut somnum necessarium omni nocte acci-  
 piat, et saltem ad quatuor horas. 2° Ut cibos competentes  
 horis congruentibus sumat. Et super his adimplendis curam  
 Ven. Patri Scribae committimus.

=====  
 RITUS CARTUSIENSIS: (Vide etiam: 496-499)

2336.- 1443: Cum observantiae peregrinae, praesertim Ritus Or-  
 ---- dinis immutativae, nullatenus debeant tolerari, eapropter  
 consuetudinem aliquarum Domorum qua, Monacho in extremis  
 laborante, Conventus ad cellam suam vadit ut sibi legat Bea-  
 ti Anselmi recommendationem, sic communiter dietam, consulte  
 revocamus, et talia conventualiter amodo fieri prohibemus,  
 quoniam si dicta recommendatio diligenter pensatur potius  
 ad statum laicalem quam monasticum dignoscitur pertinere.

2337.- 1469: Et Processionem quam inconsulto Ordine inchoarunt  
 ---- in Domo Moguntiae dimittant, ampliusque nihil talium con-  
 tra Statuta attentent. (Pr. Rheni).

2338.- 1476: Et super his quae scribunt Vicarius et Conventua-  
 ---- les Domus Mantuae de modo pronuntiandi certa vocabula,  
 hortamur eos quod se conforment consuetudini Matris Ord-  
 nis Cartusiae. (Pr. Lombardiae propinquioris).

2339.- 1486: Et committimus Priori Domus Herbipolis de D.N...  
 ---- et D.N... ut secundum discretionem suam faciat diligentiam  
 quatenus dicti fratres conforment se in Divinis et aliis ob-  
 servantiis Statutis Ordinis. (Pr. Alemanniae Inferioris).

2340.- 1520: Et quoad quae petunt Prior et Conventuales Domus  
 ----

[2341] RITUS

Portus Beatae Mariae conforment se ritui Ordinis, ut servetur uniformitas in Ordine. (Pr. Aquitaniae).

2341.- 1521: Hortamur Visitatores Provinciae Picardiae ut pro-  
videant quod Domus Provinciae conforment se modo Ordinis  
in celebrando Divinum Officium et festa Sanctorum juxta in-  
formationem Visitatori datam.

2342.- 1551: Et D.N...in celebratione Missae et in Horis dicen-  
dis conformet se caeteris, et super hoc Prior invigilet.  
(In Domo Friburgi - Pr. Rheni).

2343.- 1567: Et D.N...Vicarius Domus Rosae studeat se confor-  
mare caeremoniis et aliis in canone Missae observandis,  
juxta Statuta et mandata Reverendi Patris. (Pr. Franciae).

2344.- 1579: Caveant Monachi Domus Montis Dei maculare libros  
Ecclesiae et Refectorii additionibus aut mutationibus qui-  
buscumque, cum dicti libri sint bene correcti; quicumque hoc  
fecerit pro una vice comedat ad terram, et si fuerit contu-  
max et pluries fecerit, incarceretur. (Pr. Picardiae).

SCRIBA:

2345.- 1430: Et quia Reverendus Pater senio affectus est et mul-  
tis doloribus corporis sui gravatus, et propter multipli-  
cationem Domorum Ordinis et negotiorum non potest omnia pa-  
cifice portare, concedimus eidem ut quemcumque duxerit eli-  
gendum Monachum, Priorem vel Visitatorem valeat accipere et  
a suo officio absolvere super annum. (Hic fit prima mentio  
adjutoris pro Reverendo Patre).

SCRIPTURA SACRA:

2346.- 1531: Ordinamus quod Lectiones Matutinales tam festis  
quam ferialibus diebus, integrae, prout in antiquis li-  
bris signatae habentur, in Ecclesia legantur, improbantes  
quod in certis Domibus Provinciae Picardiae, quaedam Lec-  
tiones abbreviatae sint et detruncatae, quas ad pristinum  
statum in libris reduci, et sic in Ecclesia legi volumus.

2347.- 1564: Omnibus et singulis Prioribus Provinciae Alemanniae  
Inferioris districte injungimus ut in Ecclesia Lectiones  
in libris et non in Breviariis, juxta ritum et consuetudinem

[2347] SCRIPTURA SACRA

Ordinis nostri, legant, et Monachos legere jubeant, et super hoc diligenter invigilent Visitatores dictae Provinciae.

2348.- 1583: .....Quia vero tanta est codicum tum impressorum tum manuscriptorum Lectionum varietas, ut non facile sit ex uno fonte, id est libris Cartusiae, in caeteras Ordinis Domos rivos deducere purissimos, immensique laboris esset simul omnes varietates ad unum et idem Cartusiae exemplar conferre. Visum fuit emendationem Sacri Textus Bibliorum ad exemplar quod non ita diu a facultatis Theologiae Lovanien-  
 sibus Doctoribus castigatum, typis Plantini excusum, omnium quae ab antiquis temporibus hactenus in lucem prodierunt absolutissimum exstat, accuratissimum tam in ratione orthographiae accentuum, distinctionum, quam etiam Librorum et Capitulum distributione, acceptare quousque Romana Ecclesia aliud perfectius ediderit, mandantes et praecipientes omnibus et singulis Visitoribus et Convisitoribus Provinciarum ut Sacrorum Bibliorum Libros ad instar ejusdem emendationis curent et faciant in omnibus et singulis Domibus suarum Provinciarum corrigi et emendari, prout jam factum est in alma Cartusia, omnium Matre et capite; quod ut commodius possint exequi, mittimus ad singulas Provincias singula Biblia similis editionis, in quibus et terminationes Lectionum maturo ejusdem Reverendi Patris judicio moderatae sunt, appositae et annotatae, ut in libris Domorum omnium ac singularum ita reformatur; porro Prologi Beatissimi Hieronymi posthac non legantur.

2349.- 1584: .....Reverendus Pater Cartusiae, ut ei fuerat commissum jam pro parte virili recognovit Libros Homiliarum et Sermonum quibus in Divino Officio et Refectorio utimur, et visum est ei, justis sane de causis et honestis rationibus, ut Libri ipsi Homiliarum et Sermonum rursus typis mandarentur, cujus non segnem operam debita animorum gratitudine agnoscentes, eosdem Libros Homiliales et Sermocinales jam ex parte impressos libenter acceptamus, ipsum in Domino exhortantes ut quod ad majestatem Sacrae Scripturae religiosius conservandam feliciter coepit, optato fine concludat, et Libros memoratos per Provincias et Domos Ordinis distribuat, etc...etc...

=====

SCRUPULOSI:

2350.- 1448: Scriptis D.N... Monachi Domus in Ruremunda super quibusdam scrupulis conscientiae pie respondebit Prior Trevirensis cujus informationi idem Monachus stet contentus. (Pr. Rheni).

2351.- 1451: Et de D.N...committimus Priori suo ut audita ip-  
==== sius confessione declaret an celebrare vel non celebrare  
debeat, cujus declarationi humiliter pareat et se subiciat.  
(In Domo in Basilea - Pr.Rheni).

SECRETATA: (Vide etiam: 500-508)

- 1°: Secreta Domorum.
- 2°: Secreta Ordinis.

1°: SECRETATA Domorum:

2352.- 1307: Volumus et injungimus Prioribus quod illi Monachi  
==== vel Conversi qui inventi fuerint secreta capituli cujus-  
libet Domus periculosa revelare, sine misericordia teneant  
per mensem antiquum rigorem Ordinis in cella.

2353.- 1452: Et sit Fr.N...Conversus de caetero in lingua sua  
==== cautus et circumspectus. (In Domo Buxiae - Pr.Alem. Inf.).

2354.- 1455: Et quia Prior Domus Majoraevi nimis patitur flu-  
==== xum linguae in notam Ordinis et dedecus personae suae,  
studeat se emendare, alias Ordo curabit taliter providere  
quod cedet omnibus in exemplum. (Pr.Burgundiae).

2355.- 1480: Et D.N...refraenet linguam suam aliter carceri  
==== mancipetur. (In Domo Montelli - Pr.Tusciae).

2356.- 1560: Et D.N...contineat linguam suam, alioquin incar-  
==== cerabitur. (In Domo Trisulti - Pr.Lombardiae remotioris).

2357.- 1565: Religiosi Domus Apponiaci de caetero religiosius  
==== se habeant cum Priore suo, nec amplius attentent scribere  
secularibus defectus personarum Ordinis et secreta Ordinis  
aut statum Domus, sub poena disciplina generalis. (Pr.Franc.)

2358.- 1570: Et D.N...hortamur ut de caetero sit cautior et  
==== discretior ut majorem a Deo et Ordine consequatur gra-  
tiam. (In Domo Portae Coeli - Pr.Cathaloniae).

2°: SECRETATA Ordinis:

2359.- 1410: Denegatur D.N...Monacho Domus Vallis Paradisi quod  
==== petit de sua mutatione, et licet alias forsitan esset con-  
cessibile, tamen quia interposuit preces et instantiam per-  
sonarum extra Ordinem, effectum est sibi ex toto denegabile.

Et in poenam sui et in exemplum aliorum, sit Novitius, carens voce et colloquio, per medium annum. Et si de hoc vel similibus fecerit verbum extra personas Ordinis, sit in disciplina generali per duos annos indispensabiliter; et eandem poenam incurrant quicumque similia attentaverint, vel aliquid de Carta Capituli vel de aliis secretis Ordinis, personis extra Ordinem revelaverint, exceptis beneficiis spiritualibus. (Pr. Cathaloniae).

2360.- 1465: Et quia D.N. . . bina vice aperuit litteras omnes quas Reverendus Pater Cartusiae mittebat Visitoribus et certis Prioribus et certis personis Ordinis, quod minime ei licebat, ideo comedat bis ad terram in refectorio, et amodo caveat ne talia committat. (In Domo Boniloci - Pr. Burgundiae).

2361.- 1468: Priori Domus Sancti Spiritus prope Lucam pro eo quod impetravit certas litteras a Magnatibus Bononiae contra honorem Ordinis, revelando eis infamiam personarum Ordinis, fit mia. Et revertatur ad Domum Bononiae suae professionis et sit in disciplina generali ad Ordinis voluntatem. (Pr. Tusciae).

2362.- 1479: Et Prior Domus in Axpach sit extra sedem suam per unum mensem, pro eo quod, in turbatione aliorum, tradidit ad legendum et rescribendum litteras defectus plurimorum Patrum continentes, ex Diffinitorio sine voluntate Diffinitorum exceptas. (Pr. Alemaniae Superioris).

=====

SENES: (Vide etiam: 509)

1°: Assistendi sunt.

2°: Bonum exemplum praebere debent.

1°: SENES assistendi sunt:

2363.- 1522: Futuro Priori in Domo Maurbacensi injungimus quatenus Priori absoluto, ob ipsius senectutem et graves infirmitates, de servitore aliquo idoneo provideat, qui ipsi Priori absoluto ligna et aquam ferat, et in caeteris necessitatibus sibi diligenter assistat. (Pr. Alemaniae Super.).

2364.- 1569: Et compatiens senectuti Prioris Domus Montis Rii vi impertimur ei licentiam, ut sine erectione et multiplicatione officiariorum, possit, cum viderit expedire, pro ne-

gotiorum multiplicitate, mittere unum ex suis Monachis quem idoneum judicaverit pro illorum directione et negotiatione, qui vices suas et Procuratoris suppleat, et ad dicti Prioris discretionem ad claustum, cellam et caeteras observantias Ordinis revertatur. (Pr. Provinciae).

2º: SENES bonum exemplum praebere debent:

2365.- 1540: Et D.N...senior Domus Valencennarum studeat cum senio etiam moribus senescere et diem mortis prae oculis habere. (Pr. Picardiae).

2366.- 1547: Et seniores Domus Vallis Sancti Petri studeant quietius et pacatius conversari desinantque suis murmuris perversisque suggestionibus minores pervertere, alias Ordo providebit. (Pr. Picardiae).

2367.- 1569: Et antiquiores Domus Vallis Christi qui insolenter et licentiose nimis conversantur abstineant se ab huiusmodi licentiis et insolentiis..... (Pr. Cathaloniae).

2368.- 1572: Et antiquiores Domus de Covis consolentur a Priore omni modo possibili in suis infirmitatibus et necessitatibus, alias rogamus illos in Domino minoribus se exemplum omnis regularis disciplinae salubriter exhibere, tam in victu, vestitu, quam in sequela chori, prout de illis speratur. (Pr. Castellae).

2369.- 1577: Et D.N...antiquior studeat dare bonum exemplum opere et sermone junioribus et Novitiis. (In Domo Sancti Audomari - Pr. Picardiae).

2370.- 1649: In Provinciis Hispaniae: Recipientur Novitii ad formam Statutorum et non proponantur prius antiquioribus sed toti Conventui, et Priores mittant Monachos suos ad Ordines, non requisito antiquiorum consensu, juxta communem praxim omnium aliarum Provinciarum Ordinis.

SERMO IN CAPITULO:

2371.- 1579: In Domo Coloniae, conciones legantur ad antiquitus receptam Domus et Ordinis consuetudinem. (Pr. Rheni).



II. SILENTIUM [2372]

SILENTIUM: (Vide etiam: 510-514)

2372.- 1462: Et D.N...curet refrænare linguam, ne vana effi-  
ciatur ejus religio, alias Ordo procedet ad ulteriora  
remedia. (In Domo Vallisbonae - Pr.Provinciae).

2373.- 1465: Et Fr.N...Conversus curet refrænare linguam suam  
a verbis impertinentibus, alias incarceretur. (In Domo  
prope Asti - Pr.Lombardiae propinquioris).

2374.- 1583: Et Fr.N...Conversus refrænet linguam suam, alio-  
quin potetur aqua pura. (In Domo Vallisbonae - Pr.Prov.).

SOBRIETAS: (Vide etiam: 516-522)

2375.- 1341: Nulla Domus nostri Ordinis de caetero panem alium  
praesumat facere pro Conventu quam qui in Statutis nostri  
Ordinis continetur et in Domo Cartusiae fieri consuevit.

2376.- 1392: Priori Domus N...non fit mia. Et ordinamus quod  
de caetero pro pecuniis olim a diversis Benefactoribus  
pro pitantiis ordinandis, eidem Domui eleemosynaliter con-  
cessis, pitantiae non dentur Conventui ideo lautiores nisi  
secundum formam in Ordine consuetam, et diebus duntaxat qui-  
bus dari possunt ordinate, prout in Novis Constitutionibus  
cavetur: sintque contenti pro indumentis de panno grosso et  
rudi patriae, omnisque superfluitas evitetur, prout decet  
nostrum Propositum, et Novae Constitutiones injungunt; et  
imponimus districte silentium omnibus et singulis dictae  
Domus, ne hoc dictis Benefactoribus, vel ipsorum alicui,  
aliqua ratione revelent.

2377.- 1447: Volumus quod legata Novitiorum non militent con-  
tra sobrietatem ac Statutorum Monachorum vigorem.

2378.- 1469: Et licentia quam petunt a Capitulo confirmari,  
cum militare videtur contra Ordinis sobrietatem, pro  
praesenti juste denegatur. (In Domo B.M. Boni Lapidis -  
Pr.Alemaniae Inferioris).

2379.- 1509: Et injungimus Priori Domus Horti Christi quatenus  
antiquam et laudabilem Domus consuetudinem in pitantiis  
dandis observet, ne lautitiae passim in Domo invalescant.  
Quod si non fecerit, a Visitatore Provinciae acriter punia-  
tur. (Pr.Alemaniae Inferioris).

II. SOBRIETAS [2379]

[2380] SOBRIETAS

2380.- 1512: Et Visitatores Provinciae solerter inquirent et  
==== extirpent quamplures excessus qui in Domo Wesaliae fiunt  
in enervationem et destructionem, et maxime contra auste-  
ritatem et sobrietatem Ordinis, sin autem, Ordo providebit.  
(Pr. Rheni).

2381.- 1545: Priori Domus prope Hildesheim injungimus, quate-  
==== nus inordinatas comessationes et potationes quae in aes-  
tivario coquinae praeter morem inordinate fiunt, modis om-  
nibus prohibeat et impediatur. (Pr. Saxoniae).

2382.- 1556: Et in victu, tam ipse Prior Domus in Fletriach  
==== quam sui conformet seipsum Statutis Ordinis, alias Ordo  
providebit. (Pr. Alemanniae Superioris).

2383.- 1583: Priorem Domus Wesaliae hortamur, simul etiam Visi-  
==== tatores Provinciae, ut antiquas corruptelas verius quam  
consuetudines quae contra sobrietatem et parsimoniam Ordinis  
male in illa Domo invaluerunt, studeant abrogare. (Pr. Rheni).

SOLITUDO: (Vide etiam: 523-530)

2384.- 1333: Monemus et volumus quod in omnibus Domibus Conver-  
==== sorum a Domibus Superioribus separatis, in quibus est ca-  
pella, celebretur Missa omni hebdomada, ter vel bis ad minus  
a Procuratore vel Priore, justo impedimento cessante. Quibus  
absentibus vel impeditis, Prior, vel eo absente Vicarius,  
unum de antiquioribus Monachis ad celebrandum ibidem possit  
mittere; qui, Missa celebrata, ad Domum Superiorem, non bi-  
bens nec comedens, revertatur; et si circa adimplerem  
praedictorum Prior fuerit negligens vel remissus, de negli-  
gentia sua clamet culpam suam in proximo Capitulo subsequen-  
ti. Et ipsi Monachi non intrent vel visitent officinas.

2385.- 1420: Nulla persona Ordinis infesta sit suis Prioribus  
==== vel Visitoribus pro obtinenda licentia dirigendi ad phy-  
sicos seu ad alia loca, alioquin sit in disciplina generali  
ad Ordinis voluntatem.

2386.- 1423: Ordinationem factam per Visitatores quod nec Prior  
==== nec Procurator nec aliquis Religiosus nostri Ordinis a cae-  
tero debeat interesse processioni, etc..., confirmamus, ex-  
hortantes etiam in visceribus Jesu Christi Priorem novum et  
totum Conventum quatenus instanter laborent ut liberentur a  
prandio civium Brugensium quod consuevit fieri quinta feria  
ante Ramos Palmarum; nihilominus injungentes omnibus perso-

[2386] SOLITUDO

nis dictae Domus, quod si de caetero dictum prandium in Domo sua fieri permiserint et se non opposuerint, quantum in eis erit, illa die in pane et aqua abstineant, et cellas non egrediantur, nisi secundum formam Statutorum nostrorum. (In Domo Monachorum Brugis - Pr. Picardiae remotioris).

2387.- 1429: Et D.N... Professus Domus Montis Merulae non intret  
 === in coquinam dictae Domus, nec loquatur cum nobilibus Patriae, et maneat in una cella claustris sicut solebat. (Pr. Burgundiae).

2388.- 1442: D.N... in Domo Cellae Salutis sit contentus praesens  
 === tollere salutare Domini in silentio, et de modo pulsandi et de tempore cibum ministrandi Conventui non se intromittat. (Pr. Alemaniae Inferioris).

2389.- 1445: Et D.N... teneat se in claustro prout Statuta volunt,  
 === nec discurrat extra terminos Monachorum, nec medicinas exercent, alias si contrarium fecerit, carceri mancipetur. (In Domo Vallis Sancti Georgii - Pr. Franciae).

2390.- 1451: Et D.N... revertatur ad Domum suae Professionis, et  
 === ibidem in claustro se curet stabilire, et in favorem suae quietis, quam multum affectat, Prior suus eum non valeat extra claustrum in aliqua obedientia vel officio occupare. (In Domo Luvigniacci - Pr. Franciae).

2391.- 1457: Et D.N... Antiquior Domus Papiae, compatiendo suae  
 === senectuti, sit amodo custos vasorum, vivendo in pace et in otio sancto, et cellae suae solitudine, nec amodo intersit consiliis et tractatibus Domus, nec Prior aut Vicarius ipso absente valeant istam suam libertatem infringere. (Pr. Lombardiae propinquioris).

2392.- 1463: Et quia cellae Domus Bellilarici sunt restauratae,  
 === ordinamus quod amodo Monachi dictae Domus curent se reformare in his quae sunt Ordinis et non comedant amplius insimul sed singuli in cellis suis. (Pr. Franciae).

2393.- 1479: Et committimus Priori Domus Erfordiae ut quanto  
 === cyus Ecclesia extra septa monasterii novellae plantationis in terra Plisnensi aedificetur pro populo, ne personae ibidem locatae seu locandae, distractionis habeant occasionem. (Pr. Alemaniae Inferioris).

2394.- 1482: Cum Sanctissimus Dominus noster Sixtus Papa IV,  
 === considerans quod Piores et fratres Ordinis Cartusiensis nunc et pro tempore existentes infra claustra Domorum eorum-

dem et regularia instituta dicti Ordinis vacare Divinis beneplacitis debeant nec Basilicas et Ecclesias Urbis et aliorum locorum in quibus seu prope quas eorum Domus consistunt pro consequendis Indulgentiis visitare possint, et ne ejusdem Ordinis personae hujusmodi Indulgentiis frustrentur, Sanctitas Sua omnibus et singulis personis dicti Ordinis nunc et pro futuro atque in perpetuum existentibus gratiose concessit quod visitando majus et alia altaria consistentia in ambitu ecclesiae Domus in qua eos pro tempore degere contigerit, etc.....(et vide sequentem Ordinationem).

2395.- 1484: Intimamus singulis personis Ordinis quod cum Sanctissimus Dominus noster Sixtus Papa IV, anno plusquam praeterito, concesserit ut omnes et singulae personae Ordinis altaria in ambitu ecclesiae Domorum in quibus degerent devote visitantes, etc..., certas Indulgentias consequerentur; ne praetextu hujusmodi Indulgentiarum detur facilitas personis Ordinis exeundi cellas et solitudinem infringendi, quae potissimum regularem nostram observantiam conservant, idem Dominus noster Papa per Breve Apostolicum sub annulo Piscatoris Reverendo Patri nostro Domino Cartusiae missum, visitationes hujusmodi altarium.....sic commutavit, videlicet quod omnes et singulae Ordinis personae litteratae septem Psalmos Poenitentiales, illitteratae vero 25 orationes Dominicales, totidemque Salutationes Angelicas in oratorio cellarum vel locorum in quibus ex Ordine persolvunt Divinum Officium, dicant, et ita dicendo voluit idem Dominus noster Papa quod illasmet Indulgentias consequantur,.....nec intendimus quod praetextu hujusmodi Indulti ac aliarum Litterarum Apostolicarum, personae Ordinis amodo cellas exeant, etc...cum non sit intentionis Summi Pontificis Statuta Ordinis infringere, imo ea in suo statu conservare, cum hoc bene ostendat per Indulgentias Ordini nostro concessas, quibus contentae esse debent personae Ordinis.

2396.- 1483: Et D.N...et D.N...non intromittant se de caetero de transmutationibus Priorum, sed potius studeant ipsi observantiae solitudinis et silentii, necnon propriae quieti. (In Domo prope Lübeck - Pr.Saxoniae).

2397.- 1486: Et licentiam quam petit Vicarius Domus prope Hilshelm de fraternitate contrahenda, tanquam Statutis contrariam, denegamus. (Pr.Saxoniae).

2398.- 1491: Priori Domus Sancti Petri non fit mia. Et de his quae petunt Prior et Conventuales dictae Domus super translatione monasterii, sint contenti esse in vasta solitudine

II. SOLITUDO [2399]

sicut mater sua Cartusia. (Pr. Lombardiae propinquioris).

2399.- 1492: Et vinea Domus Sanctae Crucis in Urbe quae circa  
==== claustrum cellarum est amodo nulli saecularium tradatur  
ad locandum vel alio quocumque titulo, sine expressa licen-  
tia Capituli Generalis, sub poena absolutionis ab officio  
ipso facto. (Pr. Lombardiae remotioris).

2400.- 1493: In Domo Montis Benedicti: Et de monasterio trans-  
==== mutando ad locum Bendae non est utile visum Capitulo Ge-  
nerali, quia in solitudine et spe est fortitudo Cartusien-  
sium, imo amodo de hac materia imponatur omnibus silentium.  
(Pr. Lombardiae propinquioris).

2401.- 1504: Ostium claustrum Domus Londoniarum plus solito clau-  
==== sum propter ingressum saecularium teneatur. (Pr. Angliae).

2402.- 1506: Injungimus Priori Domus Ferrariae ut palatium no-  
==== viter acquisitum a Reverendissimo D. Cardinali Estensi fun-  
ditus diruat, ita et taliter quod sit inhabitabile, saltem  
ad usum saecularium. (Pr. Tusciae).

2403.- 1512: Et inhibemus in Domo prope Stetin quod Grangia de  
==== novo restaurata nullo modo per personas Ordinis colatur  
neque inhabitetur, sed colonis secularibus locetur. (Pr. Sa-  
xoniae).

2404.- 1517: Et de caetero nullus Monachorum in Domo Templi Ma-  
==== riae prope Lübeck praeficiatur coquinae aut cellario, et  
qui praefectus est amoveatur; et de caetero non permittatur  
quod carnes ministrentur incarceratis. (Pr. Saxoniae).

2405.- 1517: Et Priori Domus Vallis Pisis injungimus quatenus  
==== Monachos suos quos usque ad praesens propter ruinam Domus  
in Grangia Tecti tenuit, infra 20 dies post lectam Cartam  
revocet ad Monasterium, nec ultra permittat aut illi praesu-  
mant illuc descendere aut terminos Monachorum exire sub poe-  
na fugitivorum. (Pr. Lombardiae propinquioris).

2406.- 1517: Et D.N...sit contentus cella et Ecclesia, nec  
==== exeat claustrum usque ad sequens Capitulum. (In Domo Ja-  
nuae - Pr. Lombardiae propinquioris).

2407.- 1518: Priori Domus Romae injungimus quatenus circa re-  
==== formationem dictae Domus, in utroque suo statu, necnon et  
circa negotia Ordinis tam in genere quam in specie diligen-  
ter intendat, et non permittat quod Monachi incedant per ci-  
vitatem, exceptis solo Priore et Procuratore. (Pr. Lomb. rem.).

II. SOLITUDO [2407]

[2408] SOLITUDO. II

- 2408.- 1519: Et Rector Novae Plantationis de Granata transferat  
==== se cum Conventu et familia interius, ubi sunt cellae aedi-  
ficatae, ut possint, sine periculo et juxta formam Ordinis  
vivere, juxta per Visitatores ordinata. (Pr.Castellae).
- 2409.- 1537: Et pro pace et profectu Domus Vallis Virtutis in  
==== Scotia provideat Prior ne mercenarii Domus, etiam si paren-  
tes sint Religiosorum, intrent claustrum, nec colloquia seu  
familiaritates habeant cum dictis Religiosis.
- 2410.- 1549: Et quantum ad duas Missas in singulis hebdomadibus,  
==== ex quadam certa fundatione dictae Domus quae celebrari so-  
lent in quodam sacello longius distante a Domo ipsa, prae-  
dictae Missae in posterum non dicantur per claustrales prae-  
fatae Domus, sed duntaxat per officiales aut sacerdotes se-  
culares, si hoc fieri liceat ex ipsa fundatione. (In Domo  
Fontis Beatae Mariae - Pr.Franciae).
- 2411.- 1549: Et Prior Domus Padulae provideat quod Procurato-  
==== res non introducant famulos salariatos in claustrum, cau-  
sa solutionis et aliorum negotiorum, sed ut haec omnia fiant  
in claustrum Laicorum. (Pr.Lombardiae remotioris).
- 2412.- 1555: Et citra alicujus officii exactionem, D.N...in  
==== Domo Montis Dei, vices Prioris et Procuratoris supplebit  
et exercebit prout sibi a Priore injunctum fuerit, nec ex-  
tra terminos exhibit aut cum hospitibus comedet absque spe-  
ciali licentia et praecepto Prioris, sed peractis sibi in-  
junctis, ad claustrum, cellam et silentium redibit. (Pr.Pic.)
- 2413.- 1557: Et Conventuales Domus Claustrum Mariae hortamur at-  
==== que illis praecipimus, quatenus Priori obediens ac Visi-  
tatorum Chartae, ab illicitis et mutuis conviviis ac secula-  
rium consortiis abstineant, caeteraque quae sunt Ordinis nos-  
tri Cartusiensis, si ejusdem Ordinis poenis et tandem horren-  
dum Dei iudicio carere velint, fideliter observent. (Pr.Sax.).
- 2414.- 1572: Priorem Domus Lyrae hortamur ut juveniles annos  
==== gravitate morum compensans, exemplum fiat caeteris totius  
observantiae regularis, maxime silentii et solitudinis, prout  
de eo speratur, rogantes ad idem Conventuales dictae Domus.  
(Pr.Theutonae).
- 2415.- 1575: Priorem Domus Valencennarum hortamur in Domino qua-  
==== tenus aedificia novae Plantationis incepta cum omni dili-  
gentia promoveat, ...et cum sit nova plantatio, committimus  
Convisitatori Provinciae ut emittere possit Monachos dictae

[2415] SOLITUDO

- Domus tam Professos quam hospites, si nimis frequentent et impediunt operarios. (Pr. Picardiae).
- 2416.- 1584: Hortamur Conventuales Domus prope Olmütz ut in omnibus sobrii sint, silentii ac solitudinis amantes. (Pr. Alemaniae Superioris).
- 2417.- 1588: Et Monachi Domus Sophiae non conforment se huic seculo nequam, sed se electos agnoscant qui a seculi tumultu debeant abstinere. (Pr. Theutoniae).
- 2418.- 1589: In Domo de Paulari Visitatores medeantur quod officiales omnes rarius de Domo exeant, claustroque sint familiariores quam foro, et Deo quam saeculo, magisque redimatur vexatio quam detur. (Pr. Castellae).
- 2419.- 1590: Priori Domus Majoricarum plurimum commendamus cellae et silentii necnon omnis observantiae conservationem, si adsit, cujus fuit hactenus diligens cultor. (Pr. Cathal.).
- 2420.- 1590: Et D.N. plus de caetero sit pacis et quietis et cellae sectator. (In Domo in Maurbach - Pr. Alemaniae Sup.).
- 2421.- 1591: Priori Domus Avinionis concedimus licentiam aedificandi novam coquinam minori quo fieri poterit sumptu et expensis, pro reformatione solitudinis et observantiae regularis, quae hactenus multum passa est, maxime in solitudinis et silentii solutione, ratione adventantium saecularium usque ad interiora claustrum penetrantium a quibus vix arceri poterunt stante in usu antiqua coquina, prout nobis constitit. Insuper sic volumus disponi cellam Prioris, ut pro desiderata, memorata observantia, sit saecularibus ad eam accessus, non a parte claustrum, sed a parte inferiori, opportunisque janitores adhibeantur. (Pr. Provinciae).
- 2422.- 1597: Prior Domus Sophiae curet emere vicinas aedes ut sui Monachi melius solitudinem servent, et excludatur ab eis prospectus hominum saecularium, maxime mulierum. (Pr. Theutoniae).
- 2423.- 1639: Mandamus Priori Domus in Maurbach ut villam prope adjacentem Monasterio ob certas rationes in alium locum transferat. (Pr. Alemaniae Superioris).
- 2424.- 1648: In Domo Boni Loci prohibemus ne Conventuales de caetero, in Festo Corporis Christi, eant ad ecclesiam parochialem. (Pr. Burgundiae).

[2425] SOLITUDO

2425.- 1836: Monachis Conversisque prohibetur quaesita conver-  
satio et familiaritas saecularium. (In Domo Florentiae).

2426.- 1837: Hortamur Priorem Domus Neapolitanae ut sit vigi-  
lans pro regimine Domus et praesertim provideat ut unus-  
quisque maneat in cella sua, de qua, pulsato Completorio,  
nemo sine vera necessitate exeat.

SOMNUS:

2427.- 1336: Priores et aliae personae Ordinis qui supra culci-  
tram dormierunt seu jacuerunt de die vel de nocte, unam  
faciant abstinentiam praeter abstinentias ab Ordine consti-  
tutas et injungimus eis quod a praemissis de caetero studeant  
abstinere.....

2428.- 1423: Quia pulsatio pro Prima statim post Matutinas a  
Festo Exaltationis usque ad Pascha non congruit ordinatio-  
ni universalis Ecclesiae, nec Statuto Ordinis, et Primam di-  
cere statim post Matutinas est in gravamen Monachorum, ideo  
permittimus et consulimus, ne Monachi nimis graventur de con-  
tinuato labore, et ut Prima devotius persolvatur, necnon ut  
Monachi devotius ad Missas accedant, tali hora Prima pulse-  
tur per totum annum ferialibus diebus, ut ipsa Prima finita,  
facto signo pro sacerdote cum campana, possint fieri confes-  
siones ante Missam vel Missas. Et igitur permittimus quod  
Monachi possint exire cellas pro hujusmodi confessionibus  
faciendis ad locum in qualibet Domo consuetum. (Hic recipi-  
tur usus redire ad lectos post Matutinas).

2429.- 1654: In Provincia Castellae: Servetur n.20, Cap.XXI,  
Primae Partis Statutorum, ut nullus dormire praesumat in-  
ter duo linteamina vel in lecto de pluma, nec super eo pro  
levi infirmitate Priores valeant dispensare.

SOMNOLENTIA:

2430;- 1222: Illi qui consuetudinarii sunt ad dormiendum in Ec-  
clesia, statutum est ut Priores eorum faciant eos stare ad  
Lectorium, et videre Psalmos ad arbitrium ipsorum Priorum;  
quod si non fecerint a Visitoribus graviter puniantur.

[2430] SOMNOLENTIA



II. SPATIAMENTUM [2431]

SPATIAMENTUM: (Vide etiam: 531-548)

- 2431.- 1336: Ordinamus ut omnes Domus quae non habent terminos  
 ==== sibi per Ordinem assignatos, vocent duos Priores de discretioribus qui eis assignent terminos secundum honestatem Ordinis competentes, et pro Monachis terminos breviores, et haec eadem observent in Domibus novis recipiendis de caetero diligenter Priores quibus dictarum novarum Domorum receptio committetur.....
- 2432.- 1355: In die qua fieri debet abstinencia semel in hebdomada non exeant Monachi cellas propter opera vel spatiamenta.
- 2433.- 1407: Prohibemus singulis Monachis cellicolis, sub poena fugitivorum ne intrent villas quamvis sitas intra terminos suarum Domorum.
- 2434.- 1423: Quia percepimus quod in quibusdam Domibus Italiae, ==== inordinata et extra terminos Monachis spatiamenta a Visitoribus conceduntur ad plures etiam leucas ubi et comedendi et bibendi habent licentiam, omnes illas licentias taliter concessas praesentibus revocamus, inhibentes expresse Monachis ne terminos suos amodo exire audeant, injungentes Visitoribus nihilominus, ne tales licentias amodo Monachis concedant, alias per Generale Capitulum graviter puniantur; si vero unquam cum licentia exierint, volumus quod nullus eorum extra monasteria comedat vel bibat, alias duas abstinentias teneat in pane et aqua; similem poenam sustineat qui eis cibum vel potum ministrat, quae Ordinatio etiam de omnibus Provinciis intelligitur fore ordinata.
- 2435.- 1428: Priori Domus Vallisbonae non fit mia et ordinamus  
 ==== ut termini prout sunt restricti maneant in suo vigore, prohibentes ne ulterius Monachi intrent Grangiam de Cabarau. (Pr. Aquitaniae).
- 2436.- 1439: Et secludimus omnes Grangias Domus Vallisclusae  
 ==== a terminis Monachorum, nonobstante quacumque Carta terminorum in contrarium ordinata. (Pr. Burgundiae).
- 2437.- 1445: Committitur Prioribus Domorum Montis Merulae et  
 ==== Petrae Castri ut quamcivis commode poterunt terminos pro Monachis honestos more Ordinis usitato in dicta Domo Portarum assignent, eos distincte limitando et cartam ipsorum terminorum pro confirmatione obtinenda ad Cartusiam transmittant. (Pr. Burgundiae).

II. SPATIAMENTUM [2437]

[2438] SPATIAMENTUM

- 2438.- 1454: Et in casu quo Domus prope Valencennas non habue-  
==== rit terminos pro communibus spatiamenti eidem auctoritate  
Ordinis assignatos, committimus Visitatoribus ut eosdem jux-  
ta sui discretionem et Ordinis honestatem praefatae Domui  
assignent. (Pr. Picardiae propinquioris).
- 2439.- 1457: Et de terminis spatiamentorum Domus prope Valen-  
==== cennas committimus Visitatoribus omnino, ita tamen quod sint  
moderati, secundum honestatem Ordinis; et anno futuro porte-  
tur ad Capitulum et si rationabile fuerit confirmabitur.  
(Pr. Picardiae propinquioris).
- 2440.- 1465: Et cum intelleximus quod aliqui nolunt ire cum aliis  
==== quando exeunt ad spatiamentum sed volunt postea alia vice  
exire, ideo ordinamus quod tales careant pro tunc illo spa-  
tiamiento. (In Domo de Magiano prope Senas - Pr. Tusciae).
- 2441.- 1465: Et de confirmatione ordinationis terminorum anti-  
==== quorum Domus de Pontignano committimus Visitatori Prin-  
cipali Provinciae. (Pr. Tusciae).
- 2442.- 1471: Et committimus Visitatori ut Domui Sancti Lauren-  
==== tii in Yttingen assignet terminos Monachorum et possessio-  
num competentes secundum Ordinis honestatem, et Domus neces-  
sitate, et loci convenientiam. (Pr. Alemaniae Superioris).
- 2443.- 1472: Et de licentia quam petunt Monachi Domus Mantuae  
==== pro spatiamenti imponimus eis silentium. (Pr. Lomb. prop.)
- 2444.- 1477: Et justis de causis privamus Conventum Domus Man-  
==== tuae omnibus spatiamenti per totum annum futurum extra  
tamen clausuram Monasterii. (Pr. Lombardiae propinquioris).
- 2445.- 1478: Et prohibemus Monachis Partis Dei ne amodo intrent  
==== villam Grueriae quando vadunt ad spatiamentum quamvis vil-  
la illa sit infra terminos Domus.... (Pr. Gebennensis).
- 2446.- 1479: Et committimus Prioribus Neapolis et Clarimontis  
==== assignationem terminorum quam petunt Conventuales dictae  
Domus Padulae. (Pr. Lombardiae remotioris).
- 2447.- 1482: Et de terminis spatiamentorum limitandis et cons-  
==== tituendis in Domo Valencennarum committimus Visitatoribus.  
(Pr. Picardiae propinquioris).
- 2448.- 1484: His temporibus frequenter invenitur in Chartis  
==== haec clausula: "Et confirmamus terminos Domus N... per  
Visitatores assignatos."

[2448] SPATIAMENTUM

- 2449.- 1493: Et licentiam quam petierunt Religiosi Domus No-  
 viomi visitandi Abbatiam Ursi Campi, quod non expedit,  
 denegamus. (Pr. Picardiae).
- 2450.- 1495: Ordinamus quod Visitatores Provinciarum habeant  
 clarificare terminos Domorum qui non sunt bene clarifica-  
 ti et determinati, cum auctoritate Capituli Generalis. --
- 2451.- 1496: Et de terminis spatiametorum Domus Valencennarum  
 olim ipsis concessis, sint contenti. (Pr. Picardiae).
- 2452.- 1498: Et Conventus Domus Buxiae sit contentus cum suo  
 spatiameto quod hucusque habuerunt et non dent occasio-  
 nem inimico. (Pr. Alemaniae Inferioris).
- 2453.- 1499: Et Monachi Domus Majoricarum non exeant ad villam  
 propinquam, nec ad rura ultra jactum sagittae in spatiamen-  
 tis, vel circa. (Pr. Cathaloniae).
- 2454.- 1501: Et Monachi Domus Majoricarum non frequentent rura  
 in quibus occurrunt mulieres, nec eundo ad spatiamenta tran-  
 seant per portam quae est juxta villam. (Pr. Cathaloniae).
- 2455.- 1501: Et Visitatores Provinciae accedant ad Domum de Xe-  
 ritio et limitent terminos Monachorum qui postea praesen-  
 tabuntur Capitulo Generali ut confirmentur. (Pr. Castellae).
- 2456.- 1503: Et hortamur Conventum Domus Boni Lapidis ut pro  
 meliori sui custodia et Ordinis decencia, Visitorum or-  
 dinationi de spatiametis factae se conforment. (Pr. Alema-  
 niae Inferioris).
- 2457.- 1503: Et spatiametum ad molendinum nuper constructum  
 quod Conventus in Domo in Ilimbach petit, pro semel tan-  
 tummodo conceditur. (Pr. Alemaniae Inferioris).
- 2458.- 1504: Et de hoc quod Monachi Domus Buxiae petunt amplia-  
 ri terminos spatiametorum, committimus Visitoribus Pro-  
 vinciae. (Pr. Alemaniae Inferioris).
- 2459.- 1506: Et ordinatio de spatiametis per Chartam Visitato-  
 rum facta in Domo Sylvae Benedictae inviolabiliter obser-  
 vetur et licentia de ipsis spatiametis ultra semel conces-  
 sa revocatur. (Pr. Burgundiae).
- 2460.- 1507: Et Visitatores Provinciae assignent Domui in Lo-  
 vanio terminos Monachorum et possessionum, prout eis vi-  
 debitur expediens. (Pr. Theutoniae).

[2461] SPATIAMENTUM

- 2461.- 1508: Et Conventualibus Domus de Xeritio postulantibus  
 ---- ire ad quoddam Eremitorium, imponitur silentium. (Anno  
 1654, petierunt a R.P. ampliari terminos "propter prospec-  
 tum maris in spatiamento habendum". (Ita D. Joannes Chauvet,  
 Scriba R.P., +1667). (Pr. Castellae).
- 2462.- 1512: Et conceditur quod Monachi Domus Fontis Beatae Ma-  
 ---- riae, cum per licentiam exeunt ad spatiamenta, possint  
 circuire stagnum novum de Belmont et inde ad stagna de Bourg  
 descendere. (Pr. Franciae).
- 2463.- 1515: Providebunt Visitatores circa terminos Domus Venetia-  
 ---- rum quos limitabunt et restringent prout eis videbitur oppor-  
 tunum. Interim vero inhibemus omnibus Monachis et fratribus  
 ibidem professis aut hospitantibus, sub poena disciplinae  
 generalis, ne dum vadunt ad recreationem, intrent monaste-  
 ria aut habitationes secularium, ad evitandum murmurationes  
 et scandala. (Pr. Tusciae).
- 2464.- 1517: Et committitur Visitoribus Provinciae Franciae  
 ---- ut assignent terminos Monachorum in Domo Bassaevillae quos  
 transgredi non liceat, sub poena in Statutis contenta. Inte-  
 rim vero, donec assignati fuerint, cum exeant ad recreatio-  
 nes, non exeant ultra unam leucam, sub poena praedicta.
- 2465.- 1518: Inhibemus Monachis Domus Sylvae Benedictae, juxta  
 ---- alias inhibita per Reverendum Patrem Cartusiae nedum....  
 extra Domum ad recreationes et spatiamenta transitum faciant  
 per loca de Pino et de Bresino sub poena pro vice qualibet  
 comedendi ad terram in refectorio. - (Pr. Burgundiae).
- 2466.- 1519: Priori Domus Mediolani fit mia... Et quia Conventua-  
 ---- les Domorum Mediolani et Papiae praetextu quarundam licen-  
 tiarum assertarum per eos mendicatarum, et ut asseritur ob-  
 tentarum, exierunt ad recreationes et spatiamenta terminos  
 Monachorum, et ibidem certis diebus steterunt, comederunt et  
 biberunt, illucque eundo et inde redeundo varios discursus  
 hinc inde fecerunt, contra ritum, rigorem, observantiam et  
 Statuta Ordinis, in non modicam ejusdem Ordinis confusionem,  
 intuentium scandalum et majoris inde consequentiae periculum.  
 Propterea Statutorum praedictorum mentem et tenorem insequen-  
 tes, mitius tamen pro nunc cum eis agentes, ordinamus quod  
 dicti Conventuales, eo numero et ordine quo ad dicta spacia-  
 menta fuerunt et ibidem comederunt et biberunt et per tot  
 dies quod ibidem steterunt, comedant ad terram in refecto-  
 rio diebus quibus comeditur, reliquo conventu praesente, su-  
 per asserem nudum mane et vespere, solo pane et aqua contem-  
 ti. Quam poenam subeant Conversi et Commissi, si cum eis fue-

[2466] SPATIAMENTUM

- rint, et illi pariter qui eis victualia ministrarunt. Modernis vero Prioribus dictarum Domorum in virtute sanctae obedientiae injungimus ut hanc Ordinationem sine fictione aut personarum acceptione inviolabiliter exequantur. Eisdem nihilominus et dictis Conventualibus et caeteris personis Ordinis inhibendo ne tales aut consimiles licentias seu dispensationes contra observantiam et Statuta praedicta de caetero impetrent aut impetratis vel impetrandis utantur.... (Pr. Lombardiae propinquioris).
- 2467.- 1521: Et conceditur Conventui Domus Pariensis extendere terminos Monachorum secundum structuram murorum suorum quos proxime aedificare intendunt. (In hac Domo nunquam erant spatiamenta extra muros Domus, sicut in pluribus aliis Domibus, v.g. Neapolis). (Pr. Franciae).
- 2468.- 1526: Visitoribus committimus ut assignent Domui Villae francae terminos tam acquirendorum quam spatiamentorum, per sequens Capitulum Confirmandos. (Pr. Aquitaniae).
- 2469.- 1528: Et de spatiamentis quae nunc petunt Prior et Conventus Domus Nannetarum, secundum formam Tertiae Compilationis sic utantur ut in proxima Visitatione in confusionem ipsorum reformari aut revocari non debeant. (Pr. Franciae).
- 2470.- 1544: Et assignentur termini pro spatiamentis religiosorum in Domo Sanctorum Stephani et Brunonis. (Pr. Lomb. rem.)
- 2471.- 1548: Et Conventuales Domus Majoraevi sint contenti spatiamentis jam assignatis per Visitatores. (Pr. Burgundiae).
- 2472.- 1549: In Domo Portus Beatae Mariae: Et quia D.N... ibidem hospes, et D.N... ejusdem Domus Professor, sprete sui habitus et professionis reverentia ac observantia, in conventualibus spatiamentis non erubescerunt manus violentas sibi invicem injicere in multorum scandalum, propter quod gravem Ordinis disciplinam merito sustinere deberent; verumtamen, ob diuturnam in cella pro carcere detentionem, misericorditer cum illis agentes, quemlibet ipsorum ad comedendum bina vice in refectorio ad terram super asserem nudum, in pane et aqua, condemnamus, et ut conventualibus spatiamentis careant ad Ordinis voluntatem.... (Pr. Aquitaniae).
- 2473.- 1554: Et D.N... sub spe bonae emendationis relaxatur a carcere et reducitur ad cellam pro carcere, ita tamen quod de cella ad Ecclesiam ire poterit, et colloquiis et spatiamentis abstinebit sub poena carceris, donec Reverendus Pater

[2474] SPATIAMENTUM

Cartusiae informatus de ejus emendatione aliter providerit.  
(In Domo Luvigniacci - Pr. Franciae).

2474.- 1557: In Domo Diestensi: Spatiamenta per Visitatores or-  
==== dinata confirmamus, taliter tamen ut rite et recte utantur  
illis Religiosi, nec ad domos vicinas declinent, alioquin vo-  
lumus et mandamus Priori et Visitoribus praesentibus et fu-  
turus ut ipsa spatiamenta suspendant vel revocent in toto vel  
in parte, prout viderint expedire. (Pr. Theutoniae).

2475.- 1560: Monemus Priorem Domus Padulae ut ordinata per Visi-  
==== tatores super spatiamenti omnino observari faciat. (Pr.  
Lombardiae remotioris).

2476.- 1565: In Domo Mantuae: Et quantum ad spatiamentum ultra  
==== lacum servantur ordinata per bonae memoriae Reverendum Pa-  
trem Damianum, de quibus poterit referre Prior modernus Ja-  
nuae, qui tunc erat Mantuae, super quibus Prior dispensare  
non possit. (Pr. Lombardiae propinquioris).

2477.- 1566: Ordinata per Visitatores Domus Gandavi, maxime au-  
==== tem circa spatiamenta, et ne loquantur cum mulieribus, dili-  
gentius observentur, alioquin Ordo providebit. (Pr. Theutoniae)

2478.- 1566: Et tempore spatiamentorum Conventuales Domus So-  
==== phiae nullo modo exeant terminos antiquos, donec in proxi-  
ma Visitatione Visitatores fuerint informati de abusu et  
transgressu commissis in hujusmodi et Reverendo Patri Cartu-  
siae rescripserint, et amodo in ipsis spatiamenti non in-  
trent Domos saecularium sub poena privationis ipsorum et  
alia arbitranda. (Pr. Theutoniae).

2479.- 1566: Et DD. NN... melius solito et religiosius se habeant  
==== in spatiamenti, sub poena privationis eorumdem, et alia  
arbitranda. (In Domo Silvae Sancti Martini - Pr. Theutoniae).

2480.- 1567: Et super spatiamenta quae Conventuales Domus Man-  
==== tuae petunt confirmari, propter pericula quae navigantibus  
insidiantur et abusus quae hactenus commissi sunt et commit-  
ti possunt, abrogamus ultra lacum tantum; in caeteris dictos  
terminos confirmamus. (Pr. Lombardiae propinquioris).

2481.- 1568: Prohibemus Monachis Domus Dulmaniae ne amodo ex-  
==== eant quovis modo quaesito colore ad curias saecularium si-  
mul vel divisim, quavis consuetudine, quae potius corruptela  
dici debet, nonobstante, cum hujusmodi consuetudo directe  
Statuto sit contraria. (Pr. Rheni).

[2481] SPATIAMENTUM

II. SPATIAMENTUM [2482]

- 2482.- 1569: Et Prior Domus Boniloci invigilet ne Monachi ad  
 ==== spatia exeuntes transgrediantur terminos per Visita-  
 tores Commissarios illis assignatos, alias tanquam fugitivi  
 puniantur. (Pr. Burgundiae).
- 2483.- 1569: In Domo Silvae Sancti Martini spatia limita-  
 ==== tur et reformatur. (Pr. Theutoniae).
- 2484.- 1569: Et super his quae supplicant Conventuales Domus Man-  
 ==== tuae de spatia ultra lacum, imponitur silentium et ob-  
 servetur ordinatio Chartae, et de aliis spatia provide-  
 bunt Visitatores in proxima Visitatione. (Pr. Lombardiae prop.)
- 2485.- 1576: Et quia tempora tam infelicia sunt, ut non sit sa-  
 ==== tis tutum Monachos extra Domum Divionis spatia, commit-  
 timus Prioribus Bruxellae et Vallis Sancti Petri ut in des-  
 censu Capituli lustrent et prospiciant circuitum et ambitum  
 dictae Domus, quem si satis amplum et spatiosum agnoverint,  
 pro recreatione et spatia Patrum dictae Domus, illis  
 suadeant, et quatenus opus erit, praecipiant, ut dictis spa-  
 tia contenti esse velint, donec Deus Optimus feliciora  
 tempora concedere sua clementia dignabitur. Inter dicta spa-  
 tia intelligimus etiam vineas in quibus deambulare li-  
 ceat, exceptis tamen temporibus quibus earum ingressus dic-  
 tis vineis obesse posset. (Pr. Franciae).
- 2486.- 1577: In Provincia Alemanniae Inferioris: Spatia in-  
 ==== fra septa Monasteriorum abrogamus exceptis diebus Minutio-  
 num in Statutis expressis, et in aliis spatia extra  
 Domum, caveant fratres ne ingrediantur curias vel domos sae-  
 cularium, nec loquantur cum mulieribus, multo minus ibi co-  
 medant aut bibant, alias committimus Visitoribus ut si se-  
 cus fiat, omnino tollantur.
- 2487.- 1588: In Domo Capri: Et prohibemus sub poena Visitori-  
 ==== bus arbitraria ne dentur neque admittantur recreationes  
 circa mare a Monasterio Sancti Francisci ad Sancti Constan-  
 tii Ecclesiam vel circa, propter pericula et scandala evitan-  
 da; sed si Prior dare voluerit recreationes circa mare, pos-  
 sit dare solummodo in locis secretis et separatis ab hominum  
 concursu et non aliter nec alio modo. (Pr. Lombard. remot.).
- 2488.- 1599: Spatia generalia in Provinciis Cathaloniae et  
 ==== Castellae hactenus haberi solita, tanquam nostro Instituto  
 Cartusiano contraria omnino prohibemus.
- 2489.- 1586: In Domo Montis Hilaris: Et spatia tam super  
 ==== mare quam super alveum maris tanquam periculosa prohibemus,

[2490] SPATIAMENTUM

cum alioquin satis sint ampla. (Pr. Cathaloniae).

2490.- 1615: Et confirmamus ordinationem in postrema Visitatione Domus Divionis de non eundo amplius ad pagum de Fontanis. (Pr. Franciae).

2491.- 1623: In Provincia Lusitaniae: Et mandamus ut servetur Statutum circa spatia in Provincia, sublatis omnibus contrariis consuetudinibus. (Idem Statutum est in utraque Provincia Hispaniarum).

2492.- 1644: In Provincia Provinciae: Circa recreationes vero quarum usum utpote immoderatum et contra sacrae solitudinis nostrae jura, mentemque Ordinis perperam introductum, probare non valemus, haec quoque statuenda duximus: Ut scilicet in Domibus Aquensi et Massiliensi praedictarum recreationum (id est: spatia) usus locum non habeat, utriusque autem Domus incolas in Domino obtestamur et obsecramus, ut pro Dei gloria et Ordinis decore libenter ab illis abstinent et colloquio communi in loco consueto post Nonam juxta Statutum contenti sint, magnam inde a Deo gloriam, et a nobis et ab Ordine recepturi gratiam. (Ambae Domus sitae erant intra muros urbium). - In Domo Durbonis habeant Monachi suas recreationes juxta intentionem nostram Venerabili Patri ejusdem Priori a nobis declaratam. - Caeterae Provinciae Domus quousque aliter a nobis fuerit ordinatum solitis gaudeant recreationibus, sic tamen ut media hora ante Completorium singuli ad cellas redeant: nec possint Priores praesentem Ordinationem ullo modo relaxare aut immutare contra mentem nostram, quin potius, districte ipsis injungimus ut a suis illam stricte observari faciant.

2493.- 1646: In Domo Trisulti revocamus gratiam recreationis Conventualibus concessam comedendi bis in anno extra Domum. (Pr. Sancti Brunonis).

2494.- 1648: Patres Visitatores ordinent spatia in parvis Domibus Provinciae Lombardiae juxta Statuta.

2495.- 1649: In Provincia Provinciae: Confirmamus terminos spatia in Domibus Durbonis, Vallis Sanctae Mariae, et Vernae, per Visitatores in ultima earum Visitatione designatos, prohibentes Monachis dietarum Domorum ne illos infringere habeant sub poena privationis eorumdem.....

2496.- 1719: Et conceditur Conventualibus Domus Ratisbonae singulis septimanis spatium ad extra, cujus terminos Visitatores praefigant..... (Pr. Alemaniae Inferioris).

[2496] SPATIAMENTUM



## II. SPATIAMENTUM [2497]

- 2497.- 1834: Cum Deo adjuvante, Domum Beatae Mariae de Moge-  
 rris, quae simplex hactenus extitit hospitium, ad inte-  
 gri perfectique Monasterii statum promovere intendamus, ut  
 regularis disciplina in ea plenius observetur, statuimus  
 et ordinamus ut in posterum admittantur ea quae de  
 mulieribus fugiendis Cap. XX, Iae Partis Statutorum, et de  
 spatiamenti, Cap. XV, habentur, specialiter prohibentes ne  
 inter dicta spatia Monachi intrent Domo saecularium,  
 sed nec hortos, vel grangias aut alia loca ad ipsos perti-  
 nentia, eo fine ut eos visitent, maxime si adsint mulieres.
- 2498.- 1836: Prohibetur Monachis Domus Florentiae ne inter spa-  
 tiamenta divertant ad domos saecularium ibique manducent  
 aut bibant.
- 2499.- 1836: In Domo Trisulti: Prohibemus ne Monachi et Conver-  
 si equitatura unquam utantur in spatiamenti etiam longio-  
 ribus semel in anno concessis.
- 2500.- 1843: In Domo Florentiae: Stricte servetur n. 12, Cap. XV,  
 Iae P. Stat., praesertim de non comedendo extra Domum.
- 2501.- 1843: In Domo Trisulti: Renovamus Ordinationem anni 1836  
 de evitandis equitaturis in spatiamenti etiam extraordi-  
 nariis.
- 2502.- 1847: In Domo Neapolis: Servetur usus antiquus nunquam  
 exeundi extra clausuram pro spatiamenti.

### STABILITAS: (Vide etiam: 549-571)

- 2503.- 1389: Quia quidam Monachi et Conversi non cessant in-  
 quietare suos Priores, instabilitate permoti, petendo im-  
 portune se mitti ad alias Domo, idcirco ordinamus ut qui-  
 cumque de caetero Monachus vel Conversus post primam moni-  
 tionem ausus fuerit hoc ipsum attentare, cellam ipso facto  
 pro carcere teneat et sine vino ad Ordinis voluntatem.
- 2504.- 1392: ..... Imponimus silentium D.N. de Domo Vallis  
 Sancti Michaelis ut ad aliam Domum accedere non attentet,  
 sed cogitet operari salutem suam in silentio et quiete,  
 quia fini proximus est propter senilem aetatem suam. Simi-  
 liter et D.N. imponimus silentium et de recessu non scri-  
 bat Capitulo Generali. (Pr. Alemanniae Superioris).

## II. STABILITAS [2504]

[2505] STABILITAS

- 2505.- 1395: Praecipitur cuidam Monacho Provinciae Franciae  
==== ne amplius inquietet Capitulum Generale vel Domnum Cartu-  
siae quod faciat peregrinationem ad Sanctum Mathurinum,  
sed reddat unam Brevem pro singulis diebus quibus in pere-  
grinatione mansisset.
- 2506.- 1396: Et D.N...studeat stabilire pedes suos, alias gra-  
==== viter puniatur. (Domus Vallis S.Mauritii - Pr.Alem. Sup.)
- 2507.- 1407: D.N...imponitur silentium super sui mutatione, cum  
==== de ea et de instabilitate sit multipliciter notatus.....  
(In Domo Valencennarum - Pr.Picardiae).
- 2508.- 1411: D.N...vadat ad Domum Leodii suae professionis et  
==== maneat in pace et imponitur sibi silentium alibi collo-  
candi.....(Pr.Picardiae remotioris).
- 2509.- 1412: Et D.N...Domus Leodii maneat ibidem, et aufertur  
==== ei omnis spes emissionis; quod si aliquem super hoc in-  
quietaverit, carceri mancipetur. (Pr.Picardiae remotioris).
- 2510.- 1423: D.N...imponitur silentium super mutatione loci,  
==== sicut anno praeterito sibi fuit impositum. (In Domo Bo-  
nae fidei - Pr.Acquitaniae).
- 2511.- 1425: Quia D.N...contra prohibitionem alias sibi factam  
==== a Capitulo Generali nunc molestat Capitulum de mutatione  
sua, comedat ad terram. (In Domo Bonae fidei - Pr.Acquitaniae.)
- 2512.- 1429: Et D.N...imponimus perpetuum silentium ne amplius  
==== Visitatores vel suum Priorem de recessu ad aliam Domum in-  
festet, sub poena carceris. (In Domo Capellae - Pr.Pic. rem.)
- 2513.- 1429: Et D.N...maneat in loco quo Deus eum vocavit, et  
==== Visitatores in proxima Visitatione provideant suae saluti  
et stabilitati. (In Domo Leodii - Pr.Picardiae remotioris).
- 2514.- 1432: Priori Domus in Snals non fit mia, et de D.N...  
==== translatio quam petunt non conceditur quia eorum est pro-  
fessus ultimo, sed coerceatur secundum formam Statutorum  
a suis perversitatibus. (Pr.Alemaniae Inferioris).
- 2515.- 1432: D.N...imponitur perpetuum silentium intrandum Pur-  
==== gatorium Sancti Patritii, et sufficiat sibi purgatorium Or-  
dinis. (In Domo in Tüchelhausen - Pr.Alemaniae Inferioris).
- 2516.- 1434: D.N...revertatur ad Domum suae Professionis, cui

II. STABILITAS [2517] PS

praecludatur omnis spes mutationis in futurum. (In Domo Papiæ - Pr. Lombardiae propinquioris).

2517.- 1435: Et D.N... quia stabilitatem promisit in Domo sua,   
 === perseveret, nec amodo Capitulum vel Visitatorem super hujusmodi inquietet. (In Domo Brugis - Pr. Picardiae remot.).

2518.- 1436: Et D.N... remaneat in Domo sua cum non sit Domus   
 === quae magis sibi conveniat quam illa, et de causis quas asserit pro sua mutatione ipse est in culpa loquendo et audiendo, ideo teneat silentium et habebit pacem. (In Domo Vallisbonae - Pr. Aquitaniae).

2519.- 1439: Et D.N... cesset in totum ab importuna petitione se   
 === ad aliam Domum transferendi, alias taliter punietur quod omnibus cedat in exemplum. (In Domo Apponiaci - Pr. Franciae)

2520.- 1442: Et D.N... studeat stabilire mentem, quia non convenit   
 === Monacho per Domos Ordinis toties discurrere. (In Domo de Trisulto - Pr. Lombardiae remotioris).

2521.- 1445: Et D.N... qui suis colloquiis ad instabilitatem   
 === plures provocavit, revertatur ad Domum suae professionis sub generali Ordinis disciplina. (In Domo Vallis Sancti Mauricii in Gyrio - Pr. Alemanniae Superioris).

2522.- 1447: Et D.N... stabiliter perseveret, ut in professione   
 === sua promisit. Alias, si ad Cartusiam sine licentia veniret, locum inobedientium et fugitivorum cum restrictione victualium intrabit. (In Domo Portus B.V.M. - Pr. Aquitaniae).

2523.- 1448: Et D.N... professus Domus Buxiae ibidem maneat in   
 === quiete et pace sua habeatque patientiam, ne, quod absit, possit notari de instabilitate. (Pr. Alemanniae Inferioris).

2524.- 1450: Et denegamus expresse D. Joanni Fort accessum ad   
 === Domum Jesu Nazareni in insula Majoricarum, quem per litteras suas pluries requisivit. Et hoc facimus ad expressam instantiam Prioris suae Domus, videlicet Scalae Dei. (Pr. Cathaloniae).

2525.- 1450: Et D.N... perseveret in Domo sua ad Ordinis voluntatem,   
 === quia ubique opus est pugna et patientia. (In Domo Glanderii - Pr. Aquitaniae).

2526.- 1450: Et D.N... constanter perseveret in Domo suae Professionis... Causa rationabilis vel necessaria quare emit-

- ti debeat nobis non constat. (In Domo in Leweld in Ungaria Pr. Alemaniae Superioris).
- 2527.- 1451: Et Fr. Bruno hospes in Domo Axpach ibidem permaneat ad Ordinis voluntatem, attenta ipsius inconstantia et multiplici mutatione, stetque quietus sine perturbatione aliorum; alioquin secundum excessus qualitatem et quantitatem per Priorem puniatur. (Pr. Alemaniae Superioris).
- 2528.- 1452: Et D.N. ad evitandam notam instabilitatis in eadem Domo perseveret. (In Domo Luvigniaci - Pr. Franciae).
- 2529.- 1454: Et D.N. stabiliat se pro bono exemplo suo et aliorum. Et super sua mutatione non permittat Ordinem ulterius molestari. (In Domo Silvae Benedictae - Pr. Burgundiae).
- 2530.- 1455: Et D.N. pro nota instabilitatis vitanda ad aliud quod tempus in Domo Calesii perseveret ad Ordinis voluntatem. (Pr. Gebennensis).
- 2531.- 1455: Et D.N. et D.N. revertantur ad Domum suae professionis pro bono exemplo stabilitatis. (In Domo Fontis Beatae Mariae - Pr. Franciae).
- 2532.- 1457: Et D.N. vadat ad Domum de Padula et ibi curet se stabilire, aliter, si contrarium fecerit, carceri mancipetur. (Pr. Lombardiae remotioris).
- 2533.- 1458: Et D.N. et D.N. et D.N. curent se stabilire in Domo suae Professionis. (In Domo Ligeti - Pr. Franciae).
- 2534.- 1459: Et D.N. stabiliat se in Domo suae professionis, nec amodo curet licentiam evagandi petere. (In Domo Silvae Benedictae - Pr. Burgundiae).
- 2535.- 1460: Et D.N. vadat ad Domum Pisarum suae professionis et ibi curet se stabilire, praeteritis discursibus rescatis. (Pr. Tusciae).
- 2536.- 1463: De Monacho qui petit ire Romam ad petendum dispensationem, volumus ut causae suae examinentur a jurisperitis et si videantur requirere dispensationem Apostolicam ut dictus Monachus ad Sacros Ordines possit promoveri, tunc unus nuncius mittatur ad id requirendum et Monachus Domi remaneat. (In Domo in Gyrio - Pr. Alemaniae Superioris).
- 2537.- 1464: Quia percepimus quod quaedam personae Ordinis aestimant sibi licere ex Bulla Sanctissimi Domini nostri Pa-

II. STABILITAS [2538]

- pae, quod vadant personaliter contra Turcos; ideo intima-  
 mus omnibus personis Ordinis quod non fuit nec est inten-  
 tio Domini nostri Papae quod ipsi vadant, prout Prior Ro-  
 mae fecit resolutionem; et nullus praesumat se movere con-  
 tra Turcos sub poena carceris. (Cf. n. 1362, 1363).
- 2538.- 1465: Quia D.N... Domus Vallis Jocosae in Carniola petit  
 ---- transferri ad Domum aliam non exprimens causam translatio-  
 nis suae, volumus eum in eadem Domo remanere. (Pr. Alem. Sup.)
- 2539.- 1466: Et D.N... in petitione sua habeat patientiam pro  
 ---- nunc, quia non convenit sibi ire ad aliam Domum donec  
 fuerit sacerdos. (In Domo Luvigniacy - Pr. Franciae).
- 2540.- 1466: Et D.N... Professus Domus Montelli ibidem se sta-  
 ---- bilitat cum jam in multis Domibus fuerit et in nulla per-  
 severaverit. (Pr. Tusciae).
- 2541.- 1467: Et D.N... stabiliat se in Domo sua quoniam incer-  
 ---- tum est quae Domus vellet eum recipere. (In Domo in Scotia)
- 2542.- 1467: Et D.N... Monachus Domus Sancti Laurentii de Padula  
 ---- stabiliat se in Domo sua quoniam non est certum quod ali-  
 quis Prior Provinciae Saxoniae vellet eum recipere. (Pr. Lom-  
 bardiae remotioris).
- 2543.- 1469: Et quia D.N... in suis litteris non allegat causam  
 ---- sufficientem translationis ad Domum Throni in Gemniko, ma-  
 neat in Domo suae professionis in Seitz. (Pr. Alemaniae Sup.).
- 2544.- 1472: Et D.N... revertatur ad Domum Ligeti suae profes-  
 ---- sionis, cum non inveniamus aliam Domum ita convenientem  
 ad collocandum ipsum sicut in Domo sua. (Pr. Franciae).
- 2545.- 1476: Et D.N... maneat in Domo in qua ultimo professus  
 ---- est, quia quod semel placuit amplius displicere non de-  
 bet. (In Domo Wesaliae - Pr. Rheni).
- 2546.- 1483: Et D.N... petens mitti ad Domum Brugarum, quia ip-  
 ---- sam Domum sic nominatam ignoramus, stet quietus in Domo  
 sua praesertim cum sua petitio habeat unum irrationale an-  
 nexum. (Ista Domus vocabatur in Ordine: Domus Brugis!)  
 (Pr. Theutoniae).
- 2547.- 1492: Et D.N... stabiliat se cum mutatio loci non mutet  
 ---- sensum et contrarium sit stabilitati professionis nostrae.  
 (In Domo Moguntiae - Pr. Rheni).

II. STABILITAS [2547]

[2548] STABILITAS

2548.- 1494: Et D.N... Monachus Domus Moguntiae stabiliat se ibi-  
==== dem donec benevolos receptores habere poterit nec amplius  
infestus sit Capitulo Generali cum sua instabilitate.  
(Pr. Rheni).

2549.- 1495: Et Monachi Domus de Paulari petentes ire ad alias  
==== Domos habeant patientiam in petitione sua et stabiliant se  
quia Ordo non intendit quod vagentur per Provinciam vel ex-  
tra Provinciam. (Pr. Castellae).

2550.- 1496: Et D.N... revertatur ad Domum sua professionis  
==== Vallis Sanctae et ibidem stabiliat se quia satis jam dis-  
currit per Domos Ordinis. (Pr. Gebennensis).

2551.- 1496: Et DD. NN... habeant patientiam in petitione sua  
==== et stabiliant se sicut promiserunt in professione sua.  
(In Domo Petrae Castri - Pr. Burgundiae).

2552.- 1501: Et D.N... stabiliat se quia jam peregrinatus est  
==== alias et parum profecit. (In Domo de Covis - Pr. Castellae).

2553.- 1501: Et de licentia quam petit D.N... committitur Prio-  
==== ri Domus, si sit tanta necessitas transeundi ad aliam Do-  
mum. ((In Domo de Miraflores - Pr. Castellae).

2554.- 1502: Et D.N... hospes in Domo de Paulari habeat patien-  
==== tiam in petitione, quia malum exemplum aliis dat volendo  
sic frequentius discurrere cum anno praeterito ad suam re-  
questam fuerit ibi missus. - Et D.N... deberet verecundari  
iterum reverti ad Domum de Paulari de qua rediit isto anno.  
(Pr. Castellae).

2555.- 1507: Et D.N... revertatur ad Domum suae professionis,  
==== ibique se stabiliat, quiete et religiose vivat, alias Or-  
do providebit. (In Domo Glanderii - Pr. Aquitaniae).

2556.- 1508: Et D.N... stabiliat se in Domo sua professionis,  
==== praesertim quia Domus sua fuit visitata et nihil dixit  
Visitatori in actu Visitationis de causis Capitulo expo-  
sitis. (In Domo Pontis Mariae in Astheim - Pr. Alem. Infer.).

2557.- 1522: Et D.N... in Domo professionis suae se stabiliat,  
==== et pacifice vivere studeat. (In Domo Valencennarum -  
Pr. Picardiae).

2558.- 1523: Et D.N... in Domo in Gyrio revertatur ad Domum  
==== Professionis suae in Tarkan, nec deinceps evagari quae-  
rat. (Pr. Alemaniae Superioris).

[2558] STABILITAS

II. STABILITAS [2559]

- 2559.- 1528: Et D.N...cognita gratia quam Deus sibi fecit,  
 ==== stabiliat se in Domo professionis suae, ut ampliorem a  
 Deo gratiam recipiat. (In Domo Ligeti - Pr.Franciae).
- 2560.- 1528: Et D.N...et D.N...propter pericula maris et pira-  
 ==== tarum habeant patientiam in petitione sua. (In Domo Majori-  
 carum - Pr.Cathaloniae).
- 2561.- 1540: Et D.N...de sua salute sollicitus sit vel in media  
 ==== aetate stabiliat se, nec amodo suis scriptis Reverendum  
 Patrem nostrum Cartusiae molestat. (In Domo Fontis B.V.M. -  
 Pr.Franciae).
- 2562.- 1542: Et D.N...professus Domus Bonaefidei cui propter  
 ==== senectutem suam compatimur, habeat patientiam in petiti-  
 one sua, ne ex mutatione loci sua senectus gravetur. (Pr.Ac-  
 quitaniae).
- 2563.- 1550: Et quia D.N...noviter professus non se stabilivit  
 ==== secundum Ordinationem Capituli Generalis anni praeteriti,  
 bis comedat ad terram cum pane et aqua in refectorio. (In  
 Domo Bonipassus - Pr.Provinciae).
- 2564.- 1552: Et D.N...habeat patientiam in petitione sua et sal-  
 ==== tem in isto suo senio se stabilire curet. (In Domo Medio-  
 lani - Pr.Lombardiae propinquioris).
- 2565.- 1562: Et D.N...hospes in Domo Avinionis habeat patien-  
 ==== tiam in sua petitione donec tempora et itinera magis cla-  
 riora et securiora sint. (Pr.Provinciae).
- 2566.- 1564: Et D.N...Professus in Domo Caturci habeat patien-  
 ==== tiam in petitione sua quia alibi non posset melius conso-  
 lari. (Pr.Acquitaniae).
- 2567.- 1566: Conversos hortamur ut de caetero magis se stabiliant.  
 ====
- 2568.- 1578: Et licet D.N...obtinuerit licentiam migrandi ad  
 ==== Domum Montis Hilaris, consulimus sibi ut se stabiliat in  
 Domo suae Professionis. (In Domo de Covis - Pr.Castellae).
- 2569.- 1586: Et D.N...ut stabilitatem probet, quatuor annis in  
 ==== Domo de Paulari hospes conversetur pacifice et maneat, jux-  
 ta Statutorum Collectionem Novam: quod si quacumque licentia  
 ad Domum de Miraflores reversus fuerit, Charta recepta, ite-  
 rum ad dictam Domum de Paulari accedat et quod dictum est  
 observet. (Pr.Castellae).

II. STABILITAS [2569]

[2570] STABILITAS

2570.- 1615: In Domo Divionis: Quantum attinet ad petitionem  
==== D.N...professi Domus d'Auray desiderantis Domum coeli ca-  
lidioris, Pater Visitator, habita fideli medicorum relatio-  
ne, monebit Reverendum Patrem de mediis opportunis curandae  
illius infirmitatis; interim alatur expensis suae Domus et  
omni subsidio foveatur pro dictae infirmitatis suae suble-  
vamine. (Pr.Franciae).

2571.- 1879: D.N...hospes in Domo Montis Kivi vadat ad Domum  
==== Portarum; quem, post tot Domorum mutationes, hortamur ut  
stabilitatis et regularis observantiae fiat amator, et ab  
indecoris vanisque scriptitationibus se absteineat; alioquin  
suffragiis quae Monachis nostris ex Statuto debentur, pri-  
vari poterit.

STATUTA: (Vide etiam: 572-575)

- 1°: Observatio Statutorum.
- 2°: Poenae.

1°: STATUTA: Observatio Statutorum:

2572.- 1401: Momemus Priores et Monachi Cathaloniae quatenus  
==== Statuta sua studeant et videant, nec de caetero quaestio-  
nibus frivolis Generale Capitulum impediunt.

2573.- 1443: (Anno praeterito facta est Ordinatio circa Statuta,  
==== ad unicam novam compilationem Statutorum faciendam, quae  
fuit facta tantummodo cum Nova Collectione, anno 1581).  
Ordinationem istam confirmamus, consulte adjicientes, pro  
minus intelligentibus, vel aliter quam conceptum est inter-  
pretantibus quod non in derogationem Statutorum inde facto-  
rum aut contemptum eorumdem, aut Ordinis alterationem, sed  
pro bono communi et suppositorum dicti Ordinis multa et va-  
na hinc inde sententium quiete ac pace et exercitio dicti  
Ordinis juvativo si et in quantum expediens fuerit haec  
concepta sunt.

2574.- 1477: Et appellationem D.N...tanquam justam et rationa-  
==== bilem admittimus et approbamus, prohibentes expresse ne  
quis, etiam autoritate Capituli fungens, ipsum vel quoscum-  
que alios Monachos astringat vel servare faciat illa pro  
quibus ipse appellavit cum non videantur Statutis Ordinis  
consona; nam contenti esse debent Praesidentes quicumque  
quod Religiosi maneant in observatione Statutorum. (In Do-  
mo prope Amsterdam - Pr.Theutoniae).

[2574] STATUTA



2575.- 1521: Et D.N. ...stet contentus Statutis nostris nec de  
 ---- caetero contra ea scribat, aut alios sinistre informet,  
 sub poena carceris. (In Domo de Axiolme - Pr. Angliae).

2576.- 1523: Et quia D.N. ...obstinate perseverat in sua malitia  
 ---- scribens contra Statuta, Patrum Ordinis et reverentiae  
 non parum derogans, prioris immemor sibi gratiae factae,  
 sed deterior ex beneficio factus, idcirco sit in discipli-  
 na generali ad Ordinis voluntatem, ut vel sic tandem, vera-  
 tione sibi dante intellectum, respiscat humilior factus...  
 (In Domo Trajecti - Pr. Theutoniae).

2º: STATUTA: Poenae Statutorum:

2577.- 1657: Quia experimur intepescere nonnullorum animos et  
 ---- ad laxiorem vitam resolvi, securos poenarum quae, partim  
 temporum iniquitate et bellorum saevitia, partim nimia Prae-  
 sidentium aliquorum indulgentia, raro pro excessibus qui  
 forte contingunt imponuntur, ad regularem disciplinam ads-  
 tringendam et conservandam, ordinamus et mandamus Prioribus  
 et Visitoribus ut poenas a Statutis decretas et taxatas  
 delinquentibus in casibus ibidem expressis solito studiosius  
 et districtius infligant ne facile eis et sine gravi causa  
 et necessitate maturae prudentiae iudicio probanda in hujus-  
 modi poenis dispensent.

SUFFRAGIA DEFUNCTORUM: (Vide etiam: 592-597)

2578.- 1343: Cum alias fuerit ordinatum quod nullus exaudire-  
 ---- tur super petitione Tricenarii perpetui et nunc facta fue-  
 rit supplicatio pro multis fundatoribus nostris, inhibemus  
 sub poena carceris, ne aliquis de Ordine nostro, quemquam  
 ad petitionem similem inducat seu faciat aut praesentet pe-  
 titionem talem, nec cuiquam tale beneficium concedatur, cum  
 cedere possit in onus Ordinis et gravamen.

2579.- 1408: Statutum novum loquens quod ubi non sunt sex sa-  
 ---- cerdotes, Tricenario quilibet sacerdos dicat duas Missas,  
 si bene consideretur nimis est onerosum nec aequaliter di-  
 videns onera; nam in magnis Domibus, sacerdotes non dicunt,  
 excepta Missa currenti nisi quod dicitur in Conventu: ideo  
 sufficit quod in praedictis Domibus ubi non sunt sex sacer-  
 dotes, dicantur pro quolibet Tricenario in Conventu vel ex-  
 tra, cum cantu (si consueverunt) vel sine cantu, duae Mis-  
 sae; nec ad amplius nolentes teneantur, quod etiam intelli-  
 gitur de Tricenariis pro vivis in quibus, si necessarium

[2580] SUFFRAGIA

fuerit, residuum volumus suppleri de aliis bonis spiritualibus illarum Domorum vel Ordinis.

2580.- 1408: Ubicumque non celebrantibus, Novitiis vel aliis  
==== injungitur Psalterium dicendum, ne nimium gravati totum ex fatigatione dimittant sicut saepe repertum est, sufficiunt, si amplius noluerint dicere, viginti Psalmi. Et pro omnibus Tricenariis Defunctorum Capituli Generalis quolibet anno dicant unum Psalterium nec ad aliud teneantur cum in omnibus Tricenariis serviant in Conventu sicut alii Monachi excepta Missae celebratione et hoc extendimus ad praeterita omnia, excepto Monachatu vel alia Prece pro persona Ordinis, nam tunc quia vicem aequalem recipere possunt, integre dicant illa.

2581.- 1408: Quaecumque per Capitulum Generale intimabitur  
==== scribendum aliquod Anniversarium vel aliud Beneficium perpetuum in Calendariis Domorum vel aliis locis similibus, nisi expresse dicantur haec verba: scribantur in die suo proprio, possint eum scribere vel annotare cum primo associato; paucos enim dies vacantes habent Domus antiquae, et multa talia beneficia sunt hactenus concessa forsitan per importunitatem, nec ex hoc ipsorum defunctorum suffragia defraudantur.

2582.- 1408: Concedimus quod qui voluerint, possint duo Tricenaria personarum quae non sunt de nostro Ordine simul celebrare, dicendo in Agenda et Missa primam orationem in plurali quae secundum nostra Statuta, talium convenit statui personarum. Ex hoc enim Domus, multitudine Tricenariorum, quorum concessio quandoque sine scandalo vitari non potest, gravatae in aliquo relevantur et defunctorum animae Ordinis suffragiis ex abundantia Divinae misericordiae non fraudantur.

2583.- 1465: Ne ex multiplicatione spiritualium beneficiorum  
==== Ordinis nostri non celebrantes prae aliis graventur, indulgemus eisdem et ordinamus ut pro omnibus Tricenariis tam vivorum quam defunctorum quae singulis annis per Cartam Capituli Generalis injunguntur (tunc erant septuaginta quinque vel circa Tricenaria in quolibet anno) dicant non sacerdotes aut etiam sacerdotes celebrare non valentes, similiter et Moniales unum Psalterium. Et similiter pro quolibet Monachatu qui similiter per Cartam singulis annis injungitur unum Psalterium, demptis tamen Monachatus ad quos ex confoederatione cum aliis Domibus obligantur; a quibus, quia vicem expectant, etiam integre pro personis illarum Domorum solvant, nec ad amplius sint adstricti. Conversi vero pro praedictis Tricenariis solvant omni anno centum Pater Noster et totidem Ave Maria.

[2583] SUFFRAGIA

SUPERFLUA:

2584.- 1572: Et D.N...quiete se habeat et sit contentus neces-  
 sariis, nec quaerat superflua et curiosa. (In Domo Sanctae Crucis in Jaresio - Pr. Aquitaniae).

TEMPORALIS ADMINISTRATIO: (Vide etiam: 599-617)

- 1°: Alienationes imprudentes non facere.
- 2°: Computa tenere et rationem reddere.
- 3°: Consilium quaerere - Obedire - Prudentiam servare.
- 4°: Debita non contrahere vel cito solvere.
- 5°: Expensas magnas et inutiles vitare.
- 6°: Paupertatem sectare.
- 7°: Probitatem servare.
- 8°: Spiritualia bona iuvare et fovere.
- 9°: Zelum habere.

1°: TEMPORALIS ADMINISTRATIO: Alienationes imprudentes non facere:

2585.- 1394: Incipimus hanc Constitutionem et non sine magna admiratione percepimus, quod quidam Priores absque licentia Capituli Generalis vel Reverendi Patris Cartusiae, irrequisitis etiam Conventibus suis, concedere non verentur bona immobilia Domorum, quibus praesunt, ad usum seu ad vitam recipientium contra jura canonica, et etiam contra Statuta nostri Ordinis; imo de remedio opportuno et optimo providere cupientes statuto irrefragabiliter duximus ordinandum, ne alicui Priori sine consensu Conventus nec Priori et consentiente Conventu suo absque licentia Capituli Generalis vel Prioris Cartusiae liceat dare vel concedere ad vitam alicui personae cujuscumque conditionis sit vel status bona immobilia vel quocumque modo alio abalienare, vel obligationem vel litteras super praemissis concedere; quod si Prior vel Procurator contra fecerit, ipso facto sint privati obedientiis suis, alii vero consentientes sint in disciplina criminorum ad Ordinis voluntatem.

2586.- 1447: Et de sedibus chori antiquae Ecclesiae, nihil disponat Prior Domus Vallis Jesu Christi sine consensu Conventus aut majoris et sanioris partis ejusdem. (Pr. Cathal.).

2587.- 1448: Et injungimus Priori absoluto a Domo Fontis quod non recedat a dicta Domo sed ibidem resideat ad Ordinis voluntatem ut sic Ordo habeat plenam certificationem de mo-

[2588] TEMPORALIS ADMINISTRATIO

bilibus dictae Domus venditis, impignoratis seu alias quomolibet alienatis. Et de pecuniis inde habitis quomodo et in quibus expositae fuerint et cum qua licentia praedicta sint facta plena ratio per dictum Priorem absolutum reddatur; quoniam ista per favorem regiam ad instantiam illorum quorum interest et zelantium regiam foundationem dictae Domus infallanter recuperabuntur. (Pr.Franciae).

2588.- 1449: Et districte injungimus Priori Domus Hildesheim quod villam suam de Quadendorp, nec in toto nec in parte alienet. (Pr.Saxoniae).

2589.- 1450: Et de licentia quam petunt Prior et Conventus de alienatione possessionum usque ad summam 3000 florenorum, committimus Visitoribus Provinciae ut se informet utrum causa sit tanti ponderis quod oporteat possessiones alienare ad alios redditus redimendos. (In Domo in Monichusen prope Arnheim - Pr.Picardiae remotioris).

2590.- 1457: Et Visitatores super contractionem debitorum et eorum levitationem per venditiones possessionum in Domo de Trisulto habeat oculum, prohibendo ne amodo talia fiant, sed per consilium Visitorum Conventuales aliter se gubernent. (Pr.Lombardiae remotioris).

2591.- 1458: Et districte injungimus D.N...quod bona mobilia et immobilia Domus Vallis Profundae alienata et impignorata habeat recuperare hinc ad futurum Capitulum et talia amodo facere non praesumat. (Pr.Franciae).

2592.- 1466: Et albergamentum nemorum factum per D.N...tunc Priorem Domus Vallis Clusae in magnum damnum ipsius Domus, auctoritate Capituli nostri Generalis infringimus, cassamus et penitus annullamus. (Pr.Burgundiae).

2593.- 1473: Et quia Monachi Domus Lanceae in absentia Prioris vendiderunt quasdam possessiones dictae Domus contra Statuta, ideo quilibet ipsorum comedat bis ad terram in refectorio et duas disciplinas recipiat in Capitulo. Et quidquid fecerunt tanquam invalidum esse decernimus, irritamusque et penitus annullamus. (Pr.Gebennensis).

2594.- 1528: Et super indulgentia petita pro alienatione certorum immobilium contra formam juris et Statutorum nostrorum, ad praesens non dispensatur, cum non constet ad quos usus fuerit conversa pecunia. (In Domo Paradisi Mariae prope Dantzick - Pr.Saxoniae).

[2594] TEMPORALIS ADMINISTRATIO

II. TEMPORALIS ADMINISTRATIO [2595]

2595.- 1529: Priori Domus Vallis Jocosae injungimus ut alienationes bonorum immobilium indebite factas, invocato auxilio regiae majestatis, omni studio rescindere studeat. Cui Visitatores Provinciae sint consilio et auxilio. (Pr. Alemaniae Superioris).

2596.- 1529: Et certam alienationem factam per Priorem et Conventus Domus Dantisci, ut fides emptori servetur, approbamus pro hac vice, salvo quod de caetero tale aliquid non praesument sine scitu et consensu Visitatoris. (Pr. Saxoniae).

2597.- 1541: Et Visitatores invigilent quod Prior Domus Silvae Sancti Martini quocumque poterit studeat redimere certos redditus venditos super bonis Domus suae. (Pr. Theutoniae).

2598.- 1545: Et prohibemus ne de caetero Prior Domus in Seitz praesumat vendere immobilia Domus, alias per Visitatores rigide puniatur. (Pr. Alemaniae Superioris).

2599.- 1577: Hortamur et serio monemus Rectorem Domus Cantavii ut juxta consilium Visitatorum locationem Cortis inconsiderate factam in pristinum statum restituere studeat, quam in praejudicium Ecclesiae factam revocamus. (Pr. Rheni).

2600.- 1582: Prior Domus Villae francae caveat vendere vineas Domus et alia quaecumque immobilia. (Pr. Aquitaniae).

2601.- 1600: In Domo Vallis Clarae: Et quia alienatio sive locatio ad perpetuam emphyteusim loci vocati de la mote des Barles per D.N. quondam Priorem dictae Domus facta, reperitur esse in praejudicium et maximum damnum dictae ecclesiae, ommissa forma Statutorum nostrorum, ideo illam nullam et irritam declaramus. (Pr. Aquitaniae).

2°: TEMPORALIS ADMINISTRATIO: Computa tenere et rationem reddere:

2602.- 1437: Priori Domus Vallisbonae injungimus ut ordinationes Visitatorum ultimas studeat observare, maxime de scribendo receptas et expensas ejus, de statu Domus monstrando et reddendo computos singulis annis. (Pr. Aquitaniae).

2603.- 1479: Et hortamur Priorem Domus Axiolme ut plus solito Domi maneat, superfluas expensas non faciendo, Domumque tempore sui Prioratus ruinosam factam diligentius restaurari faciat, atque statum Domus suae in temporalibus in sedecim annis per se non redditum, infra mensis spatium post Chartae

II. TEMPORALIS ADMINISTRATIO [2603]

[2604] TEMPORALIS ADMINISTRATIO

hujus receptionem sub poena proprietariorum diligentem computationem coram Visitoribus suae Provinciae ostendat; quibus Visitoribus seriose committimus ut auctoritate Capituli Generalis de salubri statu eidem Domui provideant, etiam Priorem, si contumax in praemissis fuerit, absolvendo. (Pr. Angliae)

2604.- 1487: Et injungimus singulis Prioribus Provinciae Angliae ut singulis annis prout in Charta Visitorum continetur faciant computationes de omnibus receptis et expositis et faciant scribi in munda et bona forma sub poena absolutionis ab officiis eorum.

2605.- 1518: Priori Domus Bassaevillae fit mia. Cui injungimus ut antequam de ipsa Domo recedat, in manibus Prioris, praesentibus antiquioribus, rationem reddat fideliter et det informationem plenam de statu et negotiis Domus. (Pr. Franciae).

2606.- 1530: Et Prior Domus Vedanae de caetero non habeat secularem rem pro libris computorum suorum scribendis. (Pr. Tusciae).

2607.- 1548: Et quia nemo est qui redditus Domus Valonis cognoscit, ipsum Priorem hortamur in Domino ut diligenter ipsorum reddituum curam habeat, servato semper consilio Visitoris Provinciae ad honorem Dei et Ordinis utilitatem. (Pr. Gebenn.)

2608.- 1566: Priori Domus Friburgi stricte inhibemus ne ullo modo faciat computum coram secularibus, cum hoc valde Ordini sit contrarium et rationi. (Pr. Rheni).

2609.- 1680: In Domibus de Covis, Xeritio et Granatae cura et exactio reddituum, censuum et quorumcumque proventuum, etiam ex locatione domorum provenientium, nulli unquam Converso vel Donato, ex praefixa obedientia, committatur, sed quidam secularis destinetur a PP. Prioribus, data prius ab ipso seculari fidejussione pro indemnitate Domorum. (Pr. Castellae).

3º: TEMPORALIS ADMINISTRATIO: Consilium quaerere -  
Obedire - Prudentiam servare:

610.- 1452: Et nullam faciat Prior in Domo sua Sanctae Crucis in Urbe mutationem tam intra quam extra in grangiis aut vineis et hujusmodi sine expresso consilio Visitoris Principalis et de ejus licentia petita et obtenta. (Pr. Lomb. rem.)

611.- 1464: Et quia Domus prope Bernam indiget magnis reparationibus et instructionibus in quibus D.N. Prior industrius et expertus est, nolumus ut dictus Prior auferatur

2611] TEMPORALIS ADMINISTRATIO

II. TEMPORALIS ADMINISTRATIO [2612]

per electionem vel alias a dicta Domo sine consultatione  
praevia Capituli Generalis. (Pr. Rheni).

2612.- 1471: Et licentiam quam petit Domo prope Brunam ad pos-  
sidentas certas vineas extra terminos, attenta ejusdem Do-  
mus paupertate, concedimus. (Pr. Alemaniae Superioris).

2613.- 1475: Et de proventibus Domo Luvigniaci, retentis ne-  
cessariis pro victu et vestitu Prioris et Religiosorum,  
de residuo Prior disponat secundum quod injunctum est Vi-  
sitatori. (Pr. Franciae).

2614.- 1479: Et in inevitabili necessitate, concedimus quod  
possit Prior de Rostock vendere vitalitia pro subventio-  
ne cum consensu Conventus. (Pr. Saxoniae).

2615.- 1480: Et Prior novus pecunias in deposito existentes  
non exponat sine consilio Conventus sui et Prioris Do-  
mus Belnae Convisitatoris. (In Domo Luvigniaci - Pr. Franc.)

2616.- 1486: Et de licentia quam Prior Domo de Covis petit ac-  
cipiendi pecunias reddituum ad reparandum damna facta in  
dieta Domo ex aquae inundatione, remittitur quod omnia fiant  
cum consilio Conventus, ita tamen quod tales pecuniae repo-  
nantur tempore opportuno in loco congruo et ad usus debitos.  
(Pr. Castelliae).

2617.- 1490: Sollicitius intendat Prior Domo Dulmaniae ut elee-  
mosynas piorum hominum affluentes utilius solito expendat,  
ne nimium suae innitatur prudentiae sed magis ardua cum con-  
silio Priorum Coloniae et Wesaliae prosequatur. (Pr. Rheni).

2618.- 1492: Et Prior Domo Lucae ne praetextu cujusquam licen-  
tiae praesumat aliquid alienare nec etiam quicquam magni  
agere sine consultatione Visitatorum. (Pr. Tusciae).

2619.- 1497: Et committimus Priori Domo Trevirensis ut super-  
intendat Domo Rutilae ne in temporalibus deficiat.  
(Pr. Rheni).

2620.- 1521: Mandamus quod officiales Domo Pontiniani, Ma-  
giani et Belriguardi nullam penitus conversationem aut  
commercium habeant cum Petro de Goro et filiis ejus, alias  
Ordo providebit. (Pr. Tusciae).

2621.- 1532: Licentiam concedimus Domo Vallis Dei ut ligna  
quercina viginti quinque arpentorum vel circa succidere  
vel vendere possint, cum conditione quod pecuniae ex vendi-

II. TEMPORALIS ADMINISTRATIO [2621]

tione praedictorum lignorum conflatae ad bona immobilia convertantur. (Pr. Franciae).

2622.- 1552: Et de segreganda curiae agriculturae a Conventu, discretioni Prioris committimus. (In Domo Buxiae--Pr. Alemaniae Inferioris).

2623.- 1568: Priori Domus Cantavii inhibemus ne amplius praesumat vendere bona immobilia aut alias Domum gravare sine licentia Capituli Generalis, Reverendi Patris Cartusiae, aut Visitorum. (Pr. Rheni).

2624.- 1570: Et Visitatores provideant ut omnino fiat novae locatio grangiae turris Domus Vallis Pisii tanquam utilis dictae Domui. (Pr. Lombardiae propinquioris).

2625.- 1579: Prohibemus Priori Domus Montis Dei ne a caetero praesumat arbores vel ligna abscindi praeter ea quae a VV. PP. Visitoribus permessa et ordinata sunt; quod si fecerit, sit extra sedem suam tribus mensibus. Officiales vero, si in hoc deliquerint, statim absolvantur ab officiis. (Pr. Picardiae).

2626.- 1581: Priorem Domus de Aniago hortamur in Domino ut de caetero cautior sit in expendendis depositis. (Pr. Castellae).

2627.- 1723: In Domo de Paulari: Et nova fabrica sacrarii et sacellorum omnino cesset, donec per Reverendum Patrem de solutis debitis et pecuniis residuis ex relatione Visitorum certioratum, ipsam liceat consummare. (Pr. Castellae).

4°: TEMPORALIS ADMINISTRATIO: Debita non contrahere, vel cito solvere:

2628.- 1463: Et ordinamus Priori Domus de Magiano sub poena suspensionis ab officio Prioratus quod causa aedificandi non recipiat mutuo ultra summam quinquaginta ducatorum, ne Domum ipsam ponat in debitis sicut alias fecit. (Pr. Tusciae).

2629.- 1475: Et Prior Domus Montis Dei sit amodo extra sedem suam donec reddat debitum ad quod tenetur Domibus Cartusiae et Siligniaci nec propter hoc a Divinis se absentet. Intelleximus etiam quod quidam Monachus coadjutor Procuratoris ivit ad partes inferiores mendicatum, vita minus religiosa servata, quod amodo fieri prohibemus sub poena absolutionis ejusdem. (Pr. Picardiae propinquioris).

2630.- 1507: Et Visitatores diligenter inquireant ne Domus Templi Mariae prope Lübeck nimium debitis et aere alieno gravetur. (Pr. Saxoniae).



II. TEMPORALIS ADMINISTRATIO [2631] [0485]

2631.- 1573: Et Prior Domus Vedanae nihil prorsus aedificet nec  
 ---- intra, nec extra Domum, donec satisfecerit debitis.  
 (Pr. Tusciae).

2632.- 1574: Et Prior Domus Tornaci curet pecunias cumulare  
 ---- pro exoneratione dictae Domus, et nihil attentabit magnae  
 importantiae sine consilio Visitoris, cui declarabit bis  
 in anno statum Domus. (Pr. Picardiae).

2633.- 1591: Priori Domus de Keritio praecipimus ut nihil aedi-  
 ---- ficet donec juxta Statuta debitum omne persolverit et  
 censum redemerit. (Pr. Castellae).

2634.- 1591: D.N...instituto infra annum Priori Domus Vallis  
 ---- Christi per Reverendum Patrem non fit mia, quem rogamus  
 non dejici animo ob multitudinem debitorum et litium, sed  
 pro viribus conari ut illa extinguantur et istae amicabili  
 via si fieri potest sopiantur et justitia evincantur, non  
 neglecta interea observantiae regularis conservatione, cui  
 praesentia sua multum suffragabitur. (Pr. Cathaloniae).

2635.- 1591: Prioris Domus Vernae economiam in extinctione  
 ---- omnium debitorum tam brevi tempore declaratam, pluri-  
 mum gratam habemus.....(Pr. Provinciae).

2636.- 1643: D.N...instituti Prioris Domus Capri industriae  
 ---- commendamus sublevationem istius Domus aere alieno op-  
 pressae. (Pr. Sancti Brunonis).

5º: TEMPORALIS ADMINISTRATIO: Expensas magnas vel inu-  
 tiles vitare:

2637.- 1436: Priori Domus Montis Rivi de agricultura se res-  
 ---- tringat juxta consilium Visitorum. (Pr. Provinciae).

2638.- 1448: Et Visitori injungimus ut super fornace laterum  
 ---- per Priorem Magiani erecta, an sit utilis dictae Domui  
 vel inutilis diligenter se informet cum amicis dictae Do-  
 mus, et casu inutilitatis recepto, ipsam destrui faciat,  
 et Priorem praefatum Magiani ad modum suorum praedecesso-  
 rum et formam Statutorum reducat. (Pr. Tusciae).

2639.- 1465: Et inhibitionem per Visitatores factam super mina  
 ---- ferri ulterius prosequenda approbamus et confirmamus, pro-  
 hibendo omnibus de Domo ne amplius de dicta mina se intro-  
 mittant. (In Domo Vallis Pisii - Pr. Lombardiae propinq.).

II. TEMPORALIS ADMINISTRATIO [2639]

2640] TEMPORALIS ADMINISTRATIO

640.- 1466: Priori Domus Vallis Pisis inhihemus sub poena ino-  
bedientiae et absolutionis ab officio Prioratus ne se in-  
tromittat de extruendo fabricam ferrariae quam alias ince-  
perat. (Pr. Lombardiae propinquioris).

641.- 1577: Et ordinamus Priori Domus Belriguardi quod lacum  
a fundatione Domus pro Conventualium commoditate per prae-  
decessores suos curatum et conservatum, maxima cum diligen-  
tia, quamprimum ad statum pristinum reducat, ac de caetero  
nihil grande agat, quin prius, Visitoribus seu alteri ip-  
sorum, communicet. (Pr. Tusciae).

642.- 1604: Visitetur Domus Coloniae a Prioribus Domorum Mo-  
guntiae et Confluentiae qui de agriculturae in praefata  
Domo introductae necessitate vel utilitate judicabunt.  
(Pr. Rheni).

6°: TEMPORALIS ADMINISTRATIO: Paupertatem sectare:

643.- 1490: Et de subventionibus petitis, Domus Cantavii ha-  
beat patientiam donec uberior annorum fertilitas Domibus  
Provinciae arriserit et tunc Ordo providebit. (Pr. Rheni).

644.- 1506: Et quoad certas possessiones quas Domus Papiae  
de praesenti possidet extra terminos suos, attento quod  
ipsa Domus pluribus bonis abundat, ad dominium et posse Ca-  
pituli nostri Generalis revocamus et ponimus, licentias con-  
cessas forte dictae Domui super illarum retentione revocando  
et illas pro sublevamine Domorum Montis Sancti Petri et Sa-  
vonae ejusdem Provinciae quae aliqualem in redditibus penu-  
riam patiuntur, aequis portionibus dividendas, donamus et  
adjudicamus. (Pr. Lombardiae propinquioris).

645.- 1583: Prior Domus in Seitz caveat ne ulla, sub quocum-  
que praetextu, contrahat debita, et sit contentus hoc an-  
no illis paucis quae ejusdem Domus sunt; abstineat etiam a  
pomposis equitaturis, et studeat vitare inanes profectio-  
nes, ne Domus gravetur. (Pr. Alemaniae Superioris).

646.- 1651: Et quia Domus Capri gravi aere alieno premitur,  
non permittat Prior Monachis in claustro famulum secularem  
nisi vere infirmantibus vel senio confectis. (Pr. S. Brunonis).

7°: TEMPORALIS ADMINISTRATIO: Probitatem servare:

647.- 1222: Prohibetur ne roncini vel quicumque equi emanent  
occasione negotiationis, scilicet ut carius vendantur. Ad  
necessitatem tamen, sicut olim permissum est, haberi permit-  
titur.

[2647] TEMPORALIS ADMINISTRATIO

## II. TEMPORALIS ADMINISTRATIO [2648]

2648.- 1482: Priori Domus Vallis Pisis fit mia. Et revocamus et  
==== annullamus compromissum per ipsum factum cum N... quia contra Deum et contra omnem rationem et aequitatem fuit factum nec quicquam valet, praecipue quia Conventus Domus non consensit, imo contradixit et se opposuit. (Pr. Lombard. prop.).

### 8°: TEMPORALIS ADMINISTRATIO: Spiritualia bona juvare et iovere:

2649.- 1542: Et quia locationes duarum grangiarum per Priores  
==== Domus Bonae fidei factae, audita relatione Visitorum et aliorum Priorum ipsius Domus et similium notitiam habentium, cedunt in evidentem dictae Domus utilitatem, illas approbamus et continuari volumus. (Pr. Aquitaniae).

2650.- 1843: Pro bono spirituali Domus Trisulti Generale Capitulum desiderat ut propositum a Monachis jam manifestatum, locandi scilicet dominia Tedeno executioni mandetur.

2651.- 1843: Domui Padulae concedimus facultatem alienandi possessiones quae, ob nimiam distantiam, non parvas impensas et distractiones offerunt personis Domus, quae ex officio illas invisendas colendasque habent, alias tamen intra terminos emendo, praevio auctoritatis ecclesiasticae et civilis consensu.

### 9°: TEMPORALIS ADMINISTRATIO: Zelum habere:

2652.- 1519: Priori Domus Majoraevi injungimus ut vigilet sollicitè circa defensionem jurium, montium, nemorum, pascuorum et bonorum dictae Domus et cellarii ut Domus ipsa damnum non patiatur. (Pr. Burgundiae).

### TRANSITUS DE ALIA RELIGIONE AD NOSTRAM: (Vide etiam: 620)

2653.- 1156: Etiam hoc statuimus ut de Cisterciensium sive  
==== Praemonstrati Ordinibus, propter ipsorum reverentiam et pacem, nulla ulterius persona in nostrum Ordinem suscipiatur. Quod constitutum si quis nostrum fuerit transgressus, etiam professum expellere cogatur et a toto Ordine separare.

2654.- 1180: Cistercienses, Praemonstratenses, si fuerint notae personae, et idoneae et sine infamia, et litteras commendatitias habuerint et absolutorias, recipi possunt, non tamen passim et leviter.

## II. TRANSITUS [2654]

[2655] TRANSITUS

2655.- 1222: Cisterciensibus nec post factam in nostris Domi-  
bus Professionem, nisi de licentia Capituli Generalis,  
obedientia non committatur.

2656.- 1261: Recepti et recipiendi de Ordine Minorum et Prae-  
dicatorum non possunt habere obedientias cum cura, sine  
dispensatione Summi Pontificis. Ipsi etiam qui professi  
fuerint in praedictis Ordinibus vel in Cisterciensi, non  
possunt aliquas obedientias etiam sine cura habere in Or-  
dine nostro sine dispensatione Capituli Generalis.

2657.- 1309: Mendicantes recepti in Ordine nostro et vix de  
caetero recipiendi non habeant obedientias in Ordine.

2658.- 1319: Declaramus quod nullus de Ordine Mendicantium  
possit habere in Ordine Cartusiensi obedientiam aliquam  
vel administrationem.

2659.- 1363: Declaramus quod Mendicantes, in Ordine nostro  
Professi, non possint habere vocem in Conventu, in his  
quae requirunt consensum Conventus.

2660.- 1368: Professi in Ordine Mendicantium non possunt habe-  
re aliquam obedientiam in Ordine nostro, sine dispensatio-  
ne Summi Pontificis, nec Professi in Ordine Cisterciensium et  
consimilium, sine dispensatione Capituli Generalis. (Ad intel-  
ligendum vocabulum istud: consimilium: vide infra: n. 2666).

2661.- 1368: Sacerdotes et caeteri qui de saeculo vel altera  
Religione veniunt ad Ordinem, si in Missarum celebratione  
et observantiis regularibus formae Ordinis se noluerint con-  
formare, vel in sustinenda opinione sua fuerint obstinati,  
vel in modo vivendi singulares, ad Professionem nullatenus  
admittantur, quoniam per tales personas olim multa in Or-  
dine scandala pervenerunt.

2662.- 1386: Priori Domus Argentinae conceditur quod D.N...ex  
alio Ordine ad nostrum translatum possit licite promove-  
re ad officia Ordinis, Prioratu excepto. (Pr. Alemaniae Inf.).

2663.- 1388: De pace et morum concordia nobis et nostro Ordini  
summo studio providere curantes, perpetuo duximus ordinan-  
dum, ne de caetero aliquis in quavis Religione Professus re-  
cipiatur ad Ordinem nostrum in Monachum, Redditum vel Con-  
versum, aliqua ratione vel causa, sine Capituli Generalis  
vel Prioris Cartusiae licentia speciali; quod si secus at-  
tentatum fuerit, sit irritum et inane.

[2663] TRANSITUS

II. TRANSITUS [2664]

- 2664.- 1389: Declaramus propter aliquorum dubitationem, praefata-  
 ---- tam prohibitionem seu Constitutionem de omnibus Religio-  
 sis, tam Mendicantibus quam claustralibus seu Regularibus  
 debere intelligi, quia lex quae generaliter loquitur, gene-  
 raliter debet intelligi, et amodo, in Novis Constitutioni-  
 bus, in titulo de diversis Institutis, haec ad rei memoriam  
 adnotetur.
- 2665.- 1391: Ordinamus de caetero quod nulla persona Ordinis per  
 ----- se vel alium supplicet Domino Cartusiae vel Capitulo Genera-  
 li pro licentia recipiendi personas quae prius fuerint in  
 alia quacumque Religione, vel pro cuiusquam anticipatione  
 professionis; quia Ordini non modica incommoda ex his prove-  
 nerunt. Qui contrarium fecerit, sciat se graviter offendisse.
- 2666.- 1391: Ad intelligentiam plenioram Constitutionis nuper  
 ---- editae, quae incipit: "De pace et morum concordia": Decla-  
 ramus quod illud quod dicitur in Secunda Parte Novarum Con-  
 stitutionum, Capitulo Secundo (vide supra n. 2660): Professi  
 in Ordine Mendicantium... et consimilium, sub hoc verbo consi-  
 milium intelliguntur Professi Ordinum Sancti Benedicti, Prae-  
 monstratensis, Cluniacensis, Grandimontensis, Camaldulensis,  
 Vallis Umbrosae, Coelestini, Montis Oliveti, Humiliati, et  
 caeteri consimiles, qui sub regula Sancti Benedicti, diver-  
 sis licet accessoriis observantiis superadditis, ad tria prin-  
 cipalia vota regulariter obligantur, quos omnes et singulos  
 in supradicta Constitutione nuper edita intelligi volumus et  
 mandamus. Aliis in aliis Religionibus primo Professis in sta-  
 tu primo remanentibus, a quibus excipimus Paulinos, et pro-  
 fessos Sancti Basilii, ac Caulitas quos Cisterciensibus, quan-  
 tum ad hoc, fore similes iudicamus.
- 2667.- 1397: Dispensamus cum D.N... quod possit promoveri ad  
 ---- quascumque obedientias Ordinis citra Prioratum, nonobstan-  
 te quod primo fuerit in alia Religione. (In Domo Vallis Sanc-  
 ti Mauricii - Pr. Alemaniae Superioris). - Ille vero Reli-  
 giosus pro quo scripsit Prior Domus Vallis Sancti Antonii in  
 Ungaria in sua Religione studeat Deo inservire. (Pr. Alem. Sup.)
- 2668.- 1404: Ad errorem quorundam Conventuum corrigendum, qui  
 ---- primo professos in Ordine Mendicantium ad electionem Prio-  
 ris admittunt, declaramus quod huiusmodi voce sint omnino  
 privati, tam in electione Prioris quam etiam in omnibus trac-  
 tibus, sed nec obedientiam aliquam habere possunt in Ordine  
 nostro sine particulari dispensatione Summi Pontificis.
- 2669.- 1426: Declaramus de Episcopis et Abbatibus, si qui for-

II. TRANSITUS [2669]

2670] TRANSITUS

sitan in posterum recipiantur in Ordine nostro, quod ob reverentiam sui status et dignitatis ante Ordinis nostri ingressum detur optio eis, antequam profiteantur, de officiis Ordinis, scilicet Prioris et Procuratoris, post eorum professionem suscipiendis vel non suscipiendis.

670.- 1434: Priori Domus Loci Dei non fit mia et de duobus quod petunt pro quodam professore sacrae theologiae qui fuit Ordinis Mendicantium, primum, scilicet de voce habenda, conceditur; secundum vero, videlicet quod habilitetur ad curam animarum, differtur, quia causas necessarias seu utiles quare hoc fieri debetur, non scribunt. (Pr. Angliae). (Frequentissima erat hujusmodi dispositio).

671.- 1496: Et D.N...de Ordine Carmelitarum, Professus Domus Brunae sit contentus in his quae Statuta et jura ordinant de his quibus scribit. (Pr. Alemaniae Superioris).

672.- 1500: Et committimus Prioribus Domorum Papias et Mediolani ut informet se an D.N...sit professus Ordinis sui primi; quod si ita invenerint, expellant eum ab Ordine; si autem ita non sit, carceri mancipetur propter sua demerita, ad Ordinis voluntatem. (In Domo Bononiae - Pr. Tusciae).

673.- 1526: Ordinamus et statuimus ne de caetero quispiam in alia Religione, cujuscumque Nominis, fuerit professus, ad nostrum Ordinem recipiatur, nisi prius per Capituli nostri Generalis censuram et per litteras patentes, nostrae Religionis dignus decernatur et approbetur. Huic autem nostrae Ordinationi quicumque contravenire temere praesumpserint, erunt in disciplina generali quoad subditos, officiales vero a suis obedientiis erunt suspensi ad Ordinis voluntatem.

674.- 1527: Ordinationem anno praeterito factam de professis aliarum quarumlibet Religionum in Ordine nostro non recipiendis confirmamus eidem Ordinationi adjicientes quod priusquam per nostrum Generale Capitulum hujusmodi aliarum Religionum Professi ad Ordinem nostrum legitime admitti possint, vel recipi, tenebuntur petitas et obtentas licentias suas, signo et sigillo Superiorum suorum Generalium aut Provincialium munitas realiter exhibere. Hortamur autem personas Ordinis ut Reverendo Patri nostro Cartusiae, pro hujus Ordinationis, sive additionis dispensatione non scribant, cum hujusmodi auctoritas soli Capitulo sit reservata.

675.- 1589: Prohibemus in praesenti Decreto ne quis in posterum cujuscumque Religionis alterius admittatur in Ordinem nostrum ad habitum Ordinis, nisi cum hoc expresso pacto,

675] TRANSITUS

II. TRANSLATIO DOMORUM [2676]

quod nunquam promoveatur ad officia Ordinis; hi vero qui jam sunt recepti ad Novitiatum, possunt habere officia, si Superioribus illorum visum fuerit; et qui jam habent possunt ea retinere et ad alia promoveri.

=====

TRANSLATIO DOMORUM:

2676.- 1424: Imponimus silentium juvenibus Monachis Domus Ar====  
veriae super mutatione loci; alias qualibet vice qua super hoc Priorem infestaverint, comedant ad terram in pane et aqua. (Pr. Burgundiae).

2677.- 1472: Committimus Visitatoribus Provinciae Saxoniae quod====  
Capitulum Generale anno futuro aut Reverendum Patrem nostrum Cartusiae sufficienter informet de translatione Domus Pacis Dei prope Schivelbein de qua Capitulum praedictum plura scripta recepit, an dicta Domus habeat expensas sufficientes de propriis aut ex aliorum donatione de qua dum sufficienter sint certificati expectent, pro aedificatione ecclesiae et cellarum et aliorum aedificiorum necessariorum in alio loco, et an Ordini expediat dictam facere translationem, et interim super praedicta translatione nihil attentent.

2678.- 1550: Et petentibus dictam Domum de Fontibus transferri====  
perpetuum silentium imponimus. (Pr. Cathaloniae).

2679.- 1602: In Domo de Cassalla: Et confirmamus sententiam Pa====  
trum Visitorum super translatione dictae Domus, imponentes perpetuum silentium Conventualibus super negotio praedictae translationis jam deciso et terminato. (Pr. Castellae)

2680.- 1619: Et attenda nimia insalubritate loci in quo Domus====  
Prateae sita est, concedimus ut in alium commodiorem possit transferri; cujus negotii curam et dispositionem committimus Visitatoribus Provinciae. (Pr. Franciae).

2681.- 1623: Et quia propter magnam coeli intemperiem religiosi====  
in Domo Bonaefidei commorari non possunt nisi cum magno vitae periculo, ita ut fere omnes in varios morbos incidentes reddantur inhabiles ad Divinum Officium; ideo ex his et aliis causis animos nostros juste moventibus, insequentes et renovantes ordinationes Capituli Generalis super translatione praedictae Domus latas, licentiam concedimus praefatam Domum in locum mitiorem et commodiorem qui nunc se offert pia et christiana liberalitate Illustrissimi Principis Condei transferendi, et praefatae translationis executionem Reverendo Patri relinquimus. (Pr. Aquitaniae).

II. TRANSLATIO DOMORUM [2681]

[2682] TRANSLATIO DOMORUM

2682.- 1625: Vidimus et laudamus propensam voluntatem praefati  
==== Patris et Conventualium praefatorum Domus de Covis ad trans-  
lationem Domus de Cassalla, novamque Domum alibi suis sumpti-  
bus aedificandam. Verum quia ab iis multae fuerunt insertae  
conditiones peregrinae, Capitulum Generale judicavit tutius  
esse et commodius ut praefata Domus de Cassalla remaneat  
ubi sita est quam ut nova ejus aedificatio casso labore ten-  
tetur cum magnis incommodis quae praefatae conditiones in-  
cludunt. Quaedam enim ex eis regulari disciplinae pacique et  
bono praefatarum Domorum adversantur, quaedam multa religio-  
sis multarum dissentionum, inquietudinum et distractionum  
variarum praebent fomenta, aliae libertatem Ordinis et PP.  
Visitatorum dictae Provinciae auctoritatem tollunt. Ideoque  
bono et paci Ordinis consulentes, praefatae translationi  
jam a centum annis incassum tentatae perpetuum silentium  
imponimus. (Pr.Castellae).

2683.- 1626: Districte praecipimus P.Priori et Conventualibus  
==== Domus Shenae Anglorum ut nihil penitus agant pro mutatio-  
ne loci, nec emant vel vendant sine expressa licentia Patris  
Visitatoris. (Pr.Theutoniae).

2684.- 1628: Quoniam ex his quae hactenus gesta et acta sunt,  
==== videmus et experimur negotium super Domo de Covis in alium  
locum transferenda esse valde ambiguum et propter contraria  
religiosorum inter se pertinaciter contendentium studia pe-  
riculosum: ideo paci et tranquillitati atque honori tam in-  
clytae Domus consulere cupientes, multis bonis rationibus  
adducti, perpetuum silentium praefatae liti imponentes, sen-  
tentiam Patrum Commissariorum in favorem praefatae transla-  
tionis latam cassantes et annullantes, necnon appellationem  
certorum religiosorum adversum praefatam sententiam ad nos  
interpositam rejicientes, stricte praecipimus Priori et  
Conventualibus dictae Domus, idque sub poena absolutionis  
quoad Priorem et officiales, et carceris quoad alios ipso  
facto incurrenda, ut a praefatae translationis prosecutione  
omnino desistant et diligenter incumbant ad praefatam Domum  
reparandam et muniendam adversus violentas Bethis fluvii  
inundationes. (Pr.Castellae).

2685.- 1644: Auditis et attentis utrinque rationibus et causis  
==== Superiorum et Conventualium Domorum de Covis et de Cassal-  
la super translatione dictae Domus de Cassalla multoties  
proposita.....Praesens Capitulum Generale imponit perpetuum  
silentium super translatione dictae Domus de Cassalla.....  
(Pr.Castellae).

[2685] TRANSLATIO DOMORUM



2686.- 1716; Et cum jam inde a triginta annis et amplius in  
 ===== Capitulis Generalibus quaestio plerumque fuerit agitata,  
 quidnam ex duobus unum magis expedire videretur, aut coepta  
 aedificia in loco ubi sunt continuare, aut alibi Domum ae-  
 dificandam transferre; verum ut nihil certum hucusque deter-  
 minatum fuerit, Capitulis Generalibus interdum pro uno, in-  
 terdum pro altero stantibus, visa et audita relatione utrius-  
 que Visitoris de iisdem mutuo convenientis, visa delinea-  
 tione praecipuorum pene omnium aedificiorum, maximis sump-  
 tibus jam constructorum, diligenter attentis gravissimis ex-  
 pensis, tam ad eorum translationem tam ad novas terreni ac-  
 quisitiones necessariis, attentis pariter oppositionibus ad-  
 versus praefatam translationem ex parte Serenissimi Regis  
 Catholici, Capitulum Ecclesiasticorum et seclarium atque  
 etiam incolarum villae de Cassalla, attenta quoque difficul-  
 tate inveniendi locum alium convenientiorem et commodiorem  
 ad redditus annuos ex fundis hujus Domus provenienti-  
 bus recipiendos: ut his omnibus et aliis incommodis praevisis et  
 providendis occurramus, statuimus et ordinamus ut dimissa  
 prorsus cogitatione translationis ambo Visitores et Rector  
 hujusce Domus de Cassalla uni incumbant continuationi coep-  
 torum aedificiorum.....(Pr.Castellae).

TRIBULATIONES:

- 1°: Ordinis.
- 2°: Domorum.

1°: TRIBULATIONES Ordinis:

2687.- 1801: Cum quolibet anno magis ac magis ingravescere vi-  
 ===== deantur quarundam Domorum extinctiones: hortamur omnes Or-  
 dinis alumnos ut preces apud Deum multiplicent pro Ordinis  
 nostri conservatione, qui pene ad nihilum redactus est.

2°: TRIBULATIONES Domorum:

2688.- 1526: Priori Domus in Snals non fit mia. Quem exhortamur  
 ===== in Domino ut in tribulatione patienter et fortiter agat,  
 coelestem expectans consolationem...(Pr.Alemaniae Superioris).

2689.- 1570: Prior Domus Paradisi Mariae (Dantisci) cum suis Mo-  
 ===== nachis in Domino rogamus et hortamur ut animaequiores con-  
 fortentur, nec Domum deserant, sperantes auxilium a Domino  
 et consolationem. (Pr.Saxoniae).

[ 2690 ] TRIBULATIONES ITAIZART. II

2690.- 1578: Priori Domus Brugis et suo desolato Conventui  
==== compatiētes, eosdem rogamus ut Domini visitationem patien-  
ter ferant. (Pr. Theutoniae).

2691.- 1579: Priorem Domus Ruremundae hortamur rogamusque et  
==== omnes alias illius Domus personas, ut in tot adversis ca-  
sibus et calamitatibus non frangantur sed in Domino conforta-  
ti praestolentur inspectionem Dei desuper, patientes, qui pro  
sua pietate aliquando his malis dabit finem. (Pr. Rheni).

TURCI:

2692.- 1464: Pro Serenissimo Principe et Illustrissimo D. Mat-  
==== thia Rege Hungariae, Dalmatiae et Croatiae, qui se oratio-  
nibus Ordinis devote recommendavit, fiat unum Tricenarium de  
de Spiritu Sancto. Et quia laborat indefesse contra Turcos  
pessimos fidei christianae inimicos, nedum pro patria sua  
verumetiam pro defensione totius Christianitatis, et magnam  
habet confidentiam in orationibus Ordinis, ideo monemus om-  
nes personas Ordinis ut ipsum Dominum Regem et statum suum  
habeant propensius recommissum in Missis et orationibus suis.

UNIFORMITAS:

1º: UNIFORMITAS in Missa celebranda:

2693.- 1493: Et D.N...conformet se aliis in celebratione juxta  
==== tenorem Statutorum, alioquin, tanquam reprehensor et vio-  
lator eorundem, puniatur. (In Domo Monichusen - Pr. Theutoniae).

2º: UNIFORMITAS in Ordine:

2694.- 1596: Cum omnes Cartusiani eandem professionem eademque  
==== vota emittant, ordinamus, juxta mentem Summi Pontificis,  
nobis per Litteras speciales significatam, ut ab omnibus  
uniformitas servetur, tam in victu et vestitu quam in aliis  
utensilibus cellae, ac propterea mandamus Visitatoribus sin-  
gularum Provinciarum, ut infra semestre constituent et de-  
clarent quae sit in praedictis uniformitas et quantitas et  
qualitas servanda, eandemque Reverendo Patri Cartusiae mit-  
tant tam tempestive ut, ante Capitulum sequens, eam consi-  
derare et examinare possit per idem Capitulum approbandam  
vel reformandam.

[ 2694 ] UNIFORMITAS

## II. UNIFORMITAS [2695]

2695.- 1738: Hortamur Visitatores Provinciarum quatenus saltem  
 ---- unus ex qualibet Provincia ascēdat quotannis ad Capitulum  
 Generale, ut illius consilio Provinciae negotia facilius et  
 prudentius definiantur, atque etiam convenientibus in unum  
 omnium Provinciarum Visitoribus foveatur unitas Ordinis  
 atque uniformitas.

### UNITAS ORDINIS:

2696.- 1419: Quia Divina operante gratia, Ordo noster per om-  
 ---- nes mundi partes est ad plenum unitus, prout in quadam  
 publica scriptura dilecti fratris nostri Prioris Portae Coe-  
 li, ad quam nos referimus, certis Priorum subscriptionibus  
 et sigillis impendentibus authenticis roborata extensius  
 continetur: Idcirco de ipsa Unione tanquam de nostro totali  
 bono in immensum gaudentes Deoque nostro pro suorum benefi-  
 ciorum recognitione et gratiarum actione, pro modulo nostrae  
 paupertatis gratifice satisfacere cupientes, ordinamus quod  
 in qualibet Domo Ordinis una Missa de Sanctissima Trinitate,  
 cum collecta pro gratiarum actione, in Conventu celebretur.  
 Dictaque scriptura Prioris Portae Coeli post lectam Chartam  
 nostri Capituli Generalis, eadem die vel sequenti in pleno  
 conventu pro consolatione et informatione omnium recitetur.  
 Et Fratribus Laicis in Capitulo ipsorum lingua materna a  
 Praesidentibus exponatur. (Iste Prior Portae Coeli erat Dom-  
 nus Franciscus Maresme, qui postea fuit Reverendus Pater, et  
 qui tunc erat missus ad Cartusiam per R.P.D. Guillelmum de  
 Mota, Vicarium Generalem Domorum Hispaniarum, ad unionem trac-  
 tandam).

2697.- 1583: Obiit D. Ferdinandus de Pantoja, Professor et Anti-  
 ---- quior Domus de Covis, et olim Prior ejusdem ac Domorum de  
 Cassalla et de Aniago, ac Visitor Provinciae Castellae,  
 qui 66 annos laudabiliter vixit in Ordine; cujus memoria in  
 benedictione est, quod fidem inconcussam communi Ordini ser-  
 vaverit, et pro tuenda ejus unione, tanquam pro aris et fo-  
 cis decertaverit.....

2698.- 1705: Priori Domus Granatae, propter senium et graves  
 ---- quas patitur corporis infirmitates, quas ad Superioris mu-  
 nia inhabilem illum reddiderunt, et ad suam maximam instan-  
 tiam fit mia. Et praeficimus in Priorem dictae Domus D.N...  
 cui multum commendamus Priorem absolutum, virum de Ordine  
 bene meritum, qui ad Religionis unionem conservandam tot la-  
 bores sustinuit, nec propriae pepercit salutem. (Pr. Castellae)

## II. UNITAS ORDINIS [2698]

[2699] VESTIMENTA

VESTIMENTA: (Vide etiam: 627-638)

- 2699.- 1156: Monachorum vestimenta a semipede terram non tan-  
==== gant; Laicorum quoque Fratrum vestes ultra ora calceamen-  
torum non descendant.
- 2700.- 1180: Praecipimus ut pannis grossis tam Priores quam Mo-  
==== nachi et Conversi induantur. Qui autem ad Capitulum curio-  
sos vestes attulerit, auferentur ei et dabuntur leprosis.
- 2701.- 1292: Pellicosos vulpinos et de bestiolis silvestri-  
==== bus, et calceamenta curiosa et plicata reprobamus, et de  
caetero non habeantur.
- 2702.- 1332: Prohibemus districtius ne aliqua persona Ordinis  
==== portet de caetero magnum caputium super cappae caputium,  
nec sotulares rotundos et extivallos aut incisos, et injun-  
gimus ut omnes portent cappas totaliter nigras et de caete-  
ro nullus jacere audeat inter duo linteamina.
- 2703.- 1335: In zonis et cultellis nihil de serico vel argento  
==== vel aliud quod apparet curiosum habere praesument perso-  
nae Ordinis.
- 2704.- 1335: Nullus de caetero portet chirotheocas de corio albo  
==== nec biretrum quia talia veluti nobis indecentia et inho-  
nesta reprobamus.....
- 2705.- 1352: Propter vanum abusum mantellorum quibus aliqui  
==== non solum extra cellas, verum etiam extra equitando et  
itinerando abuntur et vestiuntur, ea etiam super cappas induentes,  
ordinamus quod hoc de caetero non fiat, et licet nobis non  
sit nobis vestis tradita per Statuta, toleramus tamen quod  
loco pellium utatur qui voluerit, tamen intra cellam sicut  
pellibus utuntur.
- 2706.- 1497: Et quia intelleximus quod nulla vel parva est ob-  
==== servantia regularis in Domo Venetiarum quia aliqui habent  
linteamina de sargia et alia curiosa et portant vestes cu-  
riosas et tibiones sine calcaneis et alia plurima quae non  
sunt secundum Ordinem, ideo monemus quod a talibus se emen-  
dent, alias mittentur eis Visitatores de Alemania qui eos  
corrigent, et talibus non utantur, et Prior talia auferat  
aliter sit extra sedem suam in Conventu donec impleverit.  
(Pr. Tusciae).
- 2707.- 1506: Inhibemus Prioribus, Monachis et caeteris personis  
==== Provinciae Lombardiae Remotioris ne in tunicis et cucullis

[2707] VESTIMENTA

## II. VESTIMENTA [2708] [175]

utantur panno pappigniano vel de rasia, sed, si non grossiori panno patriae, saltem mediocri utantur.

2708.- 1564: Priores et Monachi Provinciae Alemanniae Inferioris, in portando cilicio aliisque indumentis, Ordini se conformant.....

2709.- 1566: In Domo Lyrae: Prohibemus Priori et Procuratori ne amplius vestimentis et mantellis utantur secularibus, sed ad formam Religionis et Ordinis honeste et aedificatorie a caetero inter saeculares incedant, alioquin Ordo providebit. (Pr. Theutoniae).

2710.- 1583: Propter uniformitatem vestimentorum in Ordine servandam, auferantur cappae albae sive mantella, ut vocantur, Fratribus Conversis, qui sint contenti indumentis in Statutis descriptis.

2711.- 1594: Reprehendimus et damnamus plurimum usum thoracis et caligarum tam femoralium quam tibialium ex corio, quas a pedibus separatas et de panno esse volumus, ad formam Ordinis, nec minus cappas et pallia serica, injungentes Visitatoribus ut super hoc diligenter invigilent; et omnino hanc consuetudinem aboleant.

### VICARIUS: (Vide etiam: 639-647)

2712.- 1442: Et quia intelleximus quod Vicarius Domus Sanctae Paulae Portae Montis prope Bernam intravit se de regimine temporalium exeundo Domum et terminos die noctuque, intrando coquinam, et caetera, et dicit se habere licentiam a Visitatore quod vix credere possumus, ideo prohibemus sibi ne ad praefacta et similia Statutis Ordinis contraria, se amplius ingerat, sed se in terminis Statutorum contineat, alioquin a Priore absolvatur et condigne pro suis excessibus puniatur, licentias quascumque in contrarium concessas revocando. (Pr. Rheni).

2713.- 1445: D.N... Vicarium Domus Divionis, propter errores quos fecit in progressu electionis Prioris Domus suae, per viam Spiritus Sancti procedendo, ab officio Vicariatus deponimus, et ad exemplum aliorum carceri mancipamus ad Ordinis voluntatem. (Pr. Franciae).

2714.- 1448: Et praeficimus D.N... in Vicarium Domus Repausatorii, quem in Domino exhortamur ut in reformatione spiri-

## II. VICARIUS [2714] [175]

[2715] VICARIUS MITSEV. II

tualium velit ostendere bonum zelum suum. (Pr. Gebennensis).

2715.- 1530: Et D.N...quia litteras institutionis moderni Prio-  
==== ris multo tempore suppressit, et limites officii Vicaria-  
tus multipliciter excessit, unde multa damna et scandala dic-  
ta Domus sustinuit, sit in disciplina generali ad Ordinis vo-  
luntatem. (In Domo Montis Benedicti - Pr. Lombardiae propinq.).

2716.- 1537: Monemus Vicarium Domus Erfordiaae ut cesset a murmu-  
==== rationibus cibi et potus, sed nec alios ad id inducat, cum  
intelleximus Conventum laudabiliter tractari in omnibus quae  
Ordinis sunt, et cessent de caetero Vicarius et Procurator a  
mutua criminatione, alias Ordo providebit. (Pr. Alem. Infer.).

2717.- 1570: Et D.N...Vicarius in Domo Venetiarum viriliter  
==== stet et agat ad ea quae sunt sacrae observantiae, et una  
cum Priore observent et observari faciant ordinationes Vi-  
sitorum. (Pr. Tusciae).

VISITATORES: (Vide etiam: 648-670)

- 1°: Veritatem respondere ad Visitatores.
- 2°: Zelum habere debent Visitatores.
- 3°: Varia.

1°: VISITATORES: Veritatem respondere ad Visitatores:

2718.- 1516: Et de his quae scribit D.N...contra Priorem suum,  
==== quae alias per Visitatores audita et terminata sunt, im-  
ponimus eidem silentium; fidem enim majorem adhibemus Visi-  
tatoribus quam sibi soli. (In Domo Portae Montis prope Ber-  
nam - Pr. Rheni).

2719.- 1591: Et D.N...Professus Domus de Miraflores respondeat  
==== quae vera sunt ad ea de quibus interrogabitur per Visita-  
torem, sive verbo, sive scripto. Quod si veritatem probabi-  
libus indiciis celare deprehendatur pro quaestione usque ad  
veritatis confessionem incarceretur cum restrictione victua-  
lium in quibus et Ordinem servet. (Pr. Castellae).

2°: VISITATORES: Zelum habere debent Visitatores:

2720.- 1413: Ordinamus et volumus expresse quod Dcmus Ordinis  
==== nostri quae non fuerunt visitatae a duobus annis citra,  
quod Visitatores eas visitent ab hinc usque ad Capitulum  
proximum et copias Cartarum mittant ad Domum Cartusiae

[2720] VISITATORES

citius quam commode poterunt.

2721.- 1574: Priorem Domus Coloniae rogantes hortamur ut juxta  
 === gratiam sibi a Deo datam, Provinciae sibi creditae, etiam  
 Saxoniae, opere, verbo et scripto intendat et se impendat,  
 et cum prae valetudine dictum officium Visitatoris non po-  
 terit adimplere, Prioribus Confluentiae, Treviris, et Dul-  
 maniae vices suas committat. (Pr. Rheni).

3°: VISITATORES: Varia:

2722.- 1447: Et Capitulum Generale per Priorem Domus Vallis  
 === Regalis prope Gandavum melius informatum super scriptis  
 in Carta anni praeteriti commendat tranquillitatem conven-  
 tualium ejusdem Domus, monentes eos ut in conformatione  
 intentionis dicti Capituli perseverent, et practicam con-  
 similem aliarum Provinciarum considerent quae pacifice et  
 quiete labores suorum Visitorum hucusque portarunt sine  
 querela. (Murmurabant quia Prior eorum frequenter absens  
 erat, in Visitatione Provinciae occupatus). (Pr. Picardiae  
 remotioris).

2723.- 1552: Domus Majoricarum poterit visitari tempore, modo,  
 === et per quos futurum Capitulum Generale providebit; eo pen-  
 dente, propter pericula imminencia, timor et amor Dei sint  
 eorum Visitores. (Pr. Cathaloniae).

=====

VOLUNTAS PROPRIA:

2724.- 1567: Et D.N...perseveret in carcere quamdiu persevera-  
 === verit in sua fantastica et pertinaci opinione, etiam cum  
 restrictione victualium. (In Domo Fontis Beatae Mariae -  
 Pr. Franciae).

=====

=====

=====

=====

=====

=====

=====

LAUS DEO

VIRGINIQUE MATRI.